VITT. EMANUELE

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
24 L
35
M
EE
III
34
12
13
5
14

Google

OBSERVATIO SINGULARIS ET RARA

DE

PARTU 173. DIERUM VIVO,

Qui legitimus in Foro judiciali competente, poſtqvam per integrum decennium de illo Controverſia fuit agitata, declaratus,

Cujus rationes ex ſolidis Naturæ fundamentis plenius deduxit

FRIDERICUS MÖLLERUS, D.
Sereniſs. Elect. Brandeb. Archiater in Caſtro Cüſtrinenſi.

Bibl. S. Pantaleonis Scholarum Piarum.

CÜSTRINI
Typis CHRISTOPHORI SÖHNIKEN,
&
Impenſis GEORGII Dennewitzen/Bibl.
Anno cIɔ Iɔc LXII.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Reverendiſſimo, Admodum Reverendis, Magnificis, Generoſiſſimis, & maximè Strenuis

Dominis, Dominis

PRÆLATIS, BARONIBUS, EQVITIBUS,

totiq; in Neo-Marchiâ, Eiq; unitis Provinciis, Nobilitatis

ORDINI,

Dominis ſuis Clementibus, ac Patronis æternùm honorandis.

Devotâ ac debitâ Obſervantiâ dedicat, offert

FRIDERICUS MÖLLERUS, D. Sereniſs. Elector. Brandeb. Archiater in Caſtro Cüſtrinenſi.

Reve-

Reverendiſſimi, Admodum Reverendi, Magnifici, Generoſiſſimi, & maximè Strenui Domini, Domini Clementes ac Patroni æternùm honorandi.

INſatiabile ſcribendi, qvod multos inanis gloriæ cupidine tumidos, hodiè agit, cacoëthes dum animo mecum expendi: nec non qvam arduum ſit, novis auctoritatem dare, dubiis fidem, faſtiditis gratiam, diu, an tractatum hunc luci donarem, me ſuſpenſum habuit. Cum verò Virorum, extra omnem dubitationis aleam doctiſſimorum Cenſurâ mei laboris ſtudium probaretur, manum in ſcriptionis obſeqvium coëgi, publico non privato intentior aliqvanto commodo. Qvod autem veſtro libellum

bellum hunc commendaverim patrocinio, inter multas cauſas familiam ducit Patriæ, cui jam dudum me mancipavi, amor. Nam cum per integrum decennium Studiorum gratiâ excluderer ejus complexu, Majorum meorum imitandorum dulcedine qvadam neſcio an deceptus, certè captus. curam ſpei futuri Medici impendebam, ut eodem, qvo olim Avus & Parens, defungerer munere. Eqvidem ſpes illa laboris mei fructum non deflorabat: Sed ejus primitias ſanctiſſimæ Parenti Patriæ, eo qvo ejus deſolatione jam aliqvot anni infames tum temporis audiviſſent, offerre probibebar. Jam verò Eâdem ultra decennium gaviſus, prout ſibi ſummas in affectu partes vendicat, Ejus Proceres omnes & ſingulos devoto admodum deveneror animo. Cujus declarandi, ut evidens aliqvod extaret argumentum,

tum, ſtatuo hoc monimentum, contemplatione fortaſſis tum demum dignum, qvum bonas horas non æqvè benè collocare lubitum fuerit. Patiamini eruditionis meæ paupertinæ donariolum gratioſiſſimis inferri manibus, & devotâ tradi reverentiâ: idemq́, eo vultu, qvo in Comitiis olim fieri conſueverat, ſcilicet ſereno exceptum renuntiari. Dabam Calendis Maji anno Salutis noſtræ M. DC. LII.

Reverendiſs.m & Generoſiſſ.m
V.m Magnific.m & Dignit.

Devotâ reverentiâ & obſeqvio debito Colens

FRIDERICUS MÖLLERUS, D.
Sereniſs. Elect. Brandeb.
Archiater in Caſtro Cüſtrinenſi.

∘ ○ ∘

Viro Nobili, Ampliſſimo &
Excellentiſſimo

DN. FRIDERICO MOLLERO,
artis Medicæ Doctori & Mathematico celeberrimo, Sereniſſimi Electoris Brandenburg. Archiatro in Caſtro Cuſtrinenſi,

Dn. Fautori, Affini & Amico ſuo plurimùm colendo.

SCribis *Ephemerides* & cedro & Apolline dignas
Sublimi ingenio judicioqve gravi;
Qvas probat *Eventus*, qvas *Experientia* rerum,
Nec damnum ex illis Bibliopola timet,
Cum gemitu cernens alias remanere tabernæ
Cuſtodes nimium, lucro abeunte, diu.

Ut

Ut piperis tandem vel thuris tegmina fiant,
Aut Veneris præſtent pabula fortè Viro.
Qvæ Tu diffundis patulum monumenta per orbem,
Ætatem curis evigilata ferunt:
Emptores facilè eſt illis reperire freqventes,
Qvi cupidè magnâ non ſine fruge legant.
Hinc varias tua jam celebratur fama per oras:
MOLLERI regio neſcia nulla mei.
Qvem *vivum* ſapiens & candidus æſtimat omnis;
Cui *pia poſteritas* nomina magna dabit.

Auguror húic etiam proſperrima fata libello,
Qvem luci donas ex locuplete penu.
Qvem non garrulitas, ſed grandia *pondera rerum*
Commendant: *dicit paucula, plura docet.*
In qvo legitimi declaras tempora partûs,
Naturæ ſcrutans interioris opes.
Ingenii hunc clemens fœtum Lucina beati
Excipiat, placido prompta Levana ſinu.
At Tu perge bonis diâ prodeſſe *Matheſi*,
Abdita Naturæ pandere perge Viris.

Qvi

❧o❧

Qvi Tibi devincis animos juvenumqve ſenumqve
Olim etiam *juvenem* qvem *coluere ſenes.*
Agmina morborum, CHRISTI virtute, repellas,
Unum qvem Medici Principem ubiqve colant.
Vive *Mathematices ſplendor* MOLLERE: *medentûm*
Gloria, MOLLERO perge, favere ſeni.
Qvem Juvenem qvondam puer ingenioſus amâſti,
Mirantem dotes tùm FRIDERICE tuas,
Qveîs annos longè ſuperabas omine fauſto,
Principibus placeas nunc ut in Orbe Viris.

Qvi te muneribus properant cumulare libenter,
Poſcentes operam non ſine fruge tuam.

Nec ſtilo nec animo liqvido, at affectu prolixo inter curas & ærumnas ſcribebat Francofordiæ ad Oderam

M. Joannes Mollerus.

In

In Nomine Altiſſimi!

I.

CUm adhuc in Cælibatu Sedini Pomeranorum degens, praxi Medicâ occuparer, in Urbe qvadam non adeò remotâ, partus rarioris exempli editus eſt. De qvo controverſia in Foro judiciali mota, legitimus ſit, nec ne. Meum etiam judicium tunc temporis reqvirebatur, qvod denegare iniqvum ratus, manum in Scriptionis obſeqvium cogebam, & caſum, qvantum viribus ingenii aſſeqvi poteram, enodandum ſuſcipiebam, pro eruendâ veritate. Caſus iſte erat talis:

II.

Viduus, Vir honeſtus, Ordinis Senatorii, ſeptuagenarius, vegetus ad-

Digitized by Google

huc, robuſtus, temperamenti calidi & humidi elapſo octenni viduatu; duxit virginem, annum ætatis ingreſſam vigeſimum primum, ſangvineam: cum illâ pacatum habuit Conjugium, cum inter Conjuges iſtos ardentiſſimus intercederet amor. Concubuit cum illâ vix qvatriduum â fluxu menſtruo liberatâ. Die à nuptiis ſolemni ritu celebratis, centeſimo ſeptûageſimo tertio natus ex Uxore filiolus, omnia membra qvidem integré, caput ſi exceperis, cujus commiſſuræ hiabant, formatus, vivus, undiqve flavâ bile tinctus. Mater pridiè partus diei validos ſuſtinuerat labores, & lapſum paſſa erat graviorem & improviſum ex mediâ domus contignatione ſeptendecim circiter pedes Geometricos in arcam lignem, & ab hâc in terram, qvem ſubſecuta inſignis cephalalgia.

III.

Rationi abſonum qvibusdam videtur, brevi hoc temporis intervallo â Na-

â Naturâ luci donatum hunc puerum, ac proin, aut Conjuges intempeſtivi ante nuptias congreſsûs, aut Matrem læſæ virginitatis,& furtivæ Veneris eſſe arguendos.

IV.

Anteqvam autem deciſionem aggrediar, disqvirendum duco, an in tali caſu Medici ſint conſulendi, nec ne? Reor autem maximè qvæſtionem hanc, utpote Phyſico Medicam, Medicæ eſſe disqviſitionis. Poterit etiam Medico-Juridica dici, qvatenus JureConſulti ad clavum Reipublicæ ſedentes de Medicorum rationibus, & obſervationibus, & qvæ ab utrâqve parte litigantium adducuntur, fundamentis ſententiam ferre tenentur. Hinc Zachias Doctiſſimus JCtus qvæſtionem de partu inter Medico-Legales numerat. Jam olim in Belgio Medici de tali caſu dubio à JCsis judices reqviſiti ſunt, eorumq; ſententia approbata, Vid. Levin. Lemn. de occult, Nat, Mirac, l. 4. cap. 22. p. 447.

Digitized by Google

V.

Ita Divus Hadrianus olim Philoſophorum & Medicorum ſuffragia collegit, puta Ariſtotelis, Marci Varronis &c. anteqvam de partu decimeſtri decerneret, atqve in ipſo decreto apposuit, qvâ perqviſitione, qvâ diligentiâ, qvibus rationibus ita judicaſſet, ne qvid temerè adverſus leges XII. Tabularum (qvibus in decem gigni hominem menſibus non vero undecimo diceretur) atqve adverſus publicam utilitatem introduxiſſe videretur. Se rem ad Medicos rejeciſſe, & ex eorum ſententiâ jus dixiſſe liqvidò teſtatus. Et qvidem non absqve ſummorum Virorum exemplo. Nam & Plato, cum de areâ dimetiendâ qværeretur ad Euclidem &c. Scævola Augur, cum de jure prædicatorio (ſic legendum eſſe vult Glareanus in Notis ad Valer. Maxim. p. 104.) conſuleretur, homo juris peritiſſimus, Conſultores ſuos nonnunqvam ad Furium & Caſellium prædicatores,

tores, rejiciebat. Et Cicero de Aqvâ ſuâ Tuſculanâ M. Tugionem potius, qvam C. Aqviliam conſulebat. Qvod aſſiduus uni rei deditus, & ingenium & artem ſæpè ſoleat vincere. Qvo facto (inqvit Valerius Maximus lib. 8. cap. 13. p. 448. num. 183.) Veteres moderationem ſuam magis commendabant, qvam authoritatem minuebant, ab his aptiùs negotium explicari poſſe, confitendo, qvi qvotidiano ejus uſu callebant. Vid. Panciroll. Novor. repert. Tit. 10. p. 500, 501. lib. 2.

VI.

Zachiam etiam video de pubertate differentem judicio Medicorum acqviescendum eſſe, dicere Qvæſt. 4. Medicolegal. Tit. 1. num. 26. 27. 28. Cuilibet Artifici in ſuâ arte eſt credendum. Hinc etiam lex de ſeptimeſtri partu nititur ſolâ autoritate Hippocratis, ſiqvidem l. Septimo 12. ff. de Stat. homin. legitur: Septimo menſe naſci perfectum partum jam receptum eſt propter autoritatem

ritatem doctiſſimi Viri Hippocratis. Et ideò credendum eſt, eum, qvi ex juſtis nuptiis ſeptimo menſe natus eſt, juſtum eſſe filium. Unde autem Hippocrates Medicus hoc habet, niſi ex ſolâ obſervatione & rationibus Medicis? Vid. Sect. 88.

VII.

De partu autem hominis, maximè ſeptimeſtri acturis tot ferè occurrunt Autorum diſſenſiones & divortia, qvot rationes in utramqve partem adductæ pro cujusq; ſibi conceptâ opinione militant. Integri libri jam dudum in lucem prodiere, Virorum extra omnem dubitationis aleam certè doctiſſimorum, qvorum ingenii acumen poſteritas maximè admiratur. Attamen in hoc nodo diſſolvendo non adeò feliciter omnes occupati fuerunt, qvin adhuc qvidam exſolvendi reſtent, & explicandi. Qvorum non poſtremus anno 1646. d. 12. Julii in disqviſitionem Medicam, & cenſuram vocatus meæ

etiam

etiam commiſſus eſt conſiderationi.

VIII.

Enodandus iſte eò majus reqviret ſtudium, qvo majoris momenti fama eſt, de qvâ unâ hîc agitur, & exiſtimatio. Duobus igitur iſtis Medicinæ fulcris, ratione & experientiâ nixus, aliorum authoritatem unà magnifaciam, qvatenus veritati conſona ſvadere videbitur.

IX.

Ponderatis rerum momentis & circumſtantiis partum hunc legitimum (ſiqvidem legibus naturæ non repugnat) genuinum & vitalem in lucem editum fuiſſe nullus ambigo, meamq; ſententiam ſatis fultam expediam. Interim de nomine cum nemine ſerram contentionis ducam, ſive aliqvis seximeſtrem, ſive ſeptimeſtrem vocandum contendat. Sufficiet mihi demonſtrari poſſe, hunc fætum 173. dierum ſpatio in utero geſtatum naſci vitalem:

talem: & ſupputationem meam nec Naturæ, nec Medicinæ fundamentis repugnare. Septimeſtrium numero & catalogo inſeri poſſe, benevolus Judex facilè ex ſeqventibus aſſeqvetur.

X.

Ne autem in ipſo, qvod dicitur, limine, ſtatim pedem offendam, menſium acceptandorum, & ſupputandorum rationem præmittendam eſſe arbitror, Solaresne, an Lunares in hominis generatione locum ſibi vendicent; Maximè cum in Hippocratis ipſius ratione ſupputandi dubii hæreant authores, qvi modo Lunarium, ut lib. de Septim. partu Sect. 3. p. m. 36. lib. 5. Cod. Foëſii (qvem genuinum ipſius librum reputat ibidem Foëſius p. m. 110. l. 20. in Notis) modo Solarium, ut lib. de princip. Sect. 3. p. m. 35. l. 20. Cod. Foëſii, & alibi mentionem injicit.

XI.

Sennertus illuſtre illud jubar Medicinæ Inſtit. lib. 1. cap. 10. p. m. 110. noſtrum

ſtrum Senem excuſaturus nihil referre ait, Lunares an Solares adhibeas, eò qvod in operosâ hominis conformatione ſe ad punctum aliqvod alligari non patiatur, ſed temporis qvadam gaudeat latitudine Natura. Qvare non tantum nullius erroris inſimulandi, ſed maximè audiendi mihi videntur, qvi Lunaribus calculum adjudicant.

XII.

Conſtat enim antiqvos imprimis Græcos obſervaſſe menſes Lunares: ſiqvidem totum annum ad Lunæ rationem ſubduxerunt, nec alios menſes, qvam Lunares, nondum reducto in eam formam anno, qvæ nunc nobis uſui eſt, agnovêre, teſte Ludovico Mercato Tom. 4. de puerper. & nutric. affectib. l. 4. c. 1. p. m. 714. C. Idq; eò magis, qvod Hippocrates, qvotiescunqve de conceptu, aut partu verba facere contingit, ſemper de Lunâ mentionem habeat.

XIII. Qvod

XIII.

Qvod etiam Zachias fatetur Qvæſt. Medicolegal. tit. 2. Qvæſt. 2. §. 33. ſiqvidem Luna, Solis Fæmina, & ejus influentiam receptaculum, ut loqvitur Nollius Phyſ. Hermet. l. 6. c. 5. axiom. S. p. m. 267. magnas in noſtris corporibus mutationes, & qvidem magis, qvam Sol introducit. Ludov. Mercat. Tom. 1. de morb. lib. 3. part. 2. de dieb. decretor. Claſs. 5. Qvæſt. 205. p. m. 343. E. Vid. Galen. tom. 4. Oper. Medic. p. m. 600. A. B. lib. 3. de dieb. decretoriis.

XIV.

Non qvod cæteros Planetas poteſtate ſuperet, ſed vicinitate. Siqvidem in infimo orbe collocata, ac terræ proxima ortus & incrementa rerum moderatur ſic, ut hujus effectu poſt ſeminis conceptionem etiam fætus in utero materni ſangvinis irrigatione augeſcat & vegetetur. Totum qvoqve geſtationis curriculum, ſeu diebus, ſeu menſibus, ſeu ſeptimanis metiri ac dinumera-

numerare libeat, ut gravidæ ferè ſupputant, ad Lunæ motum exigi referriq; debet. Levin.Lemnius lib.de occult.natur. miracul. l. 4. c. 22. p. m. 449.

XV.

Videmus certè in *Macrocoſmo* maris fluxum & refluxum à magnis Viris unanimi conſenſu exinde deduci: qvidni in microcoſmo ipſi in ſangvinis maſſam, & genitale ſemen, noſtri corporis principia dominium tribuamus? cum videamus pro ejus poſitu & dominio menſtruas mulierum purgationes fieri, & judicari. Senn. Inſtit. *Medic.* lib. 3. part. 3. cap. 12. p. m. 888. Vid. Hippocr. lib. de Septim. partu Sect. 3. p. 38. l. 29. 30. C. E.

XVI.

Hinc eſt, qvod menſis nomen ſortitus ſit ſuum à Græco μών̀η ſeu Luna teſte Zvingero Theatr. Vit. human. Volum. 24. lib. 1. p. m. 4009. Inſuper Hippocrat. lib. de Septim. part. Sect. 3. p. 38. l. 14. teſtatum reliqvit, conceptiones

ones in mulieribus eodem tempore judicari, qvo morbi. Cui adſtipulatur *M*ercatus Oper. *M*edic. Tom. 4. l. 4. c. 1. p. 706. B. Tom. Gynæc. p. m. 1038. C. Criſeos autem deducendæ ratio potius à Lunæ qvàm Solis motu & influxu dependet. Sennert. Inſtit. l. 3. part. 3. cap. 12. p. m. 890. ſeqq. *M*enſes Lunares etiam video approbari ab Alciato in L. Gallus num. 29. ff. de lib. ad poſthum.

XVII.

*M*enſens eqvidem Luuares in triplici ſunt differentiâ, dum alius periodicus, ſeu converſionis, & peragrationis nuncupatur, cujus terminus eſt 27. & horarum octo. Alius Synodicus, qvi & Conſecutionis dicitur, cujus ſpatium 29. diebus & 12. horis definitur, qvem Aſtronomi communis impreſſionis *M*enſem vocant. Alius illuminationis ſeu apparitionis, continens ferè 26. dies cum dimidio. Vid. Laurentium in Anatom. p. 375. Qvæſt. 37. Roder. de Caſtro de nat. mulier. l. 4. c. 3. p. m. 179.

Zvin-

Zvingerum Theatr. Vit. hum. Volum, 24. l. 1, p. m, 1009. A.

XVIII.

Hornm primum & ultimum planè excludendum in conceptionis opere plurimi arbitrantur. Qvamvis, præſertim primum ſeu periodicum, qvi eſt 27. dierum 8. horarum ad calculum revocandum eſſe non diffitear. Nam præcedente Sectione textus Hippocr. ex lib. de Septim. part. S. 1. adductus, qvi & alibi unà cum Galeni repetitione, de hac ſuâ ſententiâ nos certiores reddit, eandem ſcilicet eſſe rationem conceptionum & morborum, qvoad judicium. Ratio hujus eſt manifeſta, ſiqvidem unum agnoſcunt principium, dum utrumqve tam Criſeos in morbis, qvam conceptionis ſupputandæ argumentum Lunæ motus ſuppeditat. Prout Sennertus Inſtit. *M*edic. lib. 3. part. 3. cap. 12. contra Hieronym. Fracaſtrorium ingeniosè ſatis, & ſolidis obtinet fundamentis. Hinc dicit noſter

ſter Cous lib. de Septim. part. tit. I. p. m. 38. l 27. in menſibus omnia qvæ diebus contingunt, eâdem ratione.

XIX.

*M*odus autem dierum criticorum exigendorum potius menſi Lunari periodico, qvam Synodico congruus eſt. Nam finis tertiæ Septimanæ vigeſimus, & qvartæ vigeſimus ſeptimus eſt, non verò vigeſimus octavus. Vid. Hippocr. 2. aph. 34. Fuchs. in Comment. ibidem p. m. 114. usqve ad qvadrageſimum, finem ſcil. ſextæ Septimanæ. Vid. Heurn. in Notis ad aphor. citat. p. m. 114. & Galen. Tom. 4. Oper. *M*edic. lib. 2. de dieb. decret. p. m. 588. B. C. 589. A. Hâc viâ de qvadragenariis conveniet nobis cum Hippocrate, de qvibus in lib. de ſeptim. & octim. partu loqvitur. Reſervatis enim ſedecim diebus primi menſis, reliqvi 156. dies qvartum qvadragenarium qvam proximè conſtituent: qvi procul dubio integrè expletus fuiſſet, in noſtrâ puerperâ, niſi violentia obſtitiſſet externa.

XX. Al-

XX.

Alterum eſt, qvod pro periodico militat menſe, argumentum: Si Synodicus hîc ſolum reperiret locum menſis, ſeqveretur, qvod tantum vim exereret Luna ex ſolo Solis poſitu, & intuitu: atqve hoc modo vis cœleſtium ſignorum, & ſtellarum fixarum planê exularet. Imò tunc palmam obtineret Hieronym. Fracaſtorius de diebus decretor. Cap. 5. & omnes Lunæ denegandas eſſe vires (qvod rationi & experientiæ contrarium) in criſibus evinceret.

XXI.

Verum dum rectè & doctiſſimè ſe huic oppoſuit Sennertus Inſtit. Medic. lib. 3. p. 3. c. 12. p. m. 852. fatetur, influxus varietatem, & effectum non ſolum Φάσεως mutationem, ſed etiam motum & progreſſum Lunæ ad ſigna qvadrata & oppoſita ſeqvi. Et ab horum poſteriore maximas fieri mutationes, teſtante experientiâ. Vid. Galen.

Oper. Medic. Tom. 4. lib.3. de dieb.decretor. p. m. 600. A.

XXII.

Nam non ſolius Solis, ſed & reliqvorum Planetarum, & maximè ſtellarum fixarum influxu gaudet Luna: hic cum φάσεων mutatione conjungendus: Planetæ omnes non ex ſuâ ſolùm, verum etiam Signorum & Stellarum fixarum inſigniorum, vicinarum naturâ æſtimandi ſunt.

XXIII.

Aut ergò Lunæ idem tribuamus neceſſe eſt; aut è Planetarum cenſu & numero, qvod abſonum rationi foret, excludamus. Prout enim homo in puncto ſuæ nativitatis concipit characterem totius figuræ Zodiaci & harmoniam radioſam, ſub fixis. Eichſtad. Ephem. part. 3. in prolog. aph. 1. ita omnes Planetæ, & Luna ſuam, qvam exerit vim, non ex ſolius Solis acqvirit aſpectu, ſed participat aliam atqve aliam pro ſignorum diverſitate, qvæ ipſi ſuas

etiam

etiam vires communicant. Certè Luna proximè Spicam Virginis, aut Regulum, aut Jovem, in φάσεως mutatione ſita aliud impreſſionis & influxûs facit veſtigium, qvam juxta pleiades, aut caput Meduſæ, aut Saturnum. Et hinc ratio redditur, qvare, ſi hodiè unus, alter cras, tertius tertio ægrotare incipiat die, omnibus criſis diverſis contingat diebus.

XXIV.

Tertiò menſis periodicus ferè coincidit cum menſe Medicinali, ſeu Critico Galeni, de qvo citato libro agit, qvi ex mixtura periodici & illuminationis originem trahit, cujus ſpacium 26. diebus & 22. horis circumſcribitur. Qvem Galenus noſter diebus criticis rationabiliter & exactè dinumerandis aptiſſimum deprehendit & deprædicat, qvo ſe multis, qvæ in reliqvorum cenſu occurrunt, exſolvit dubiis. de qvo citat. loc. lib. 3. de diebus decretoriis p. m. 606. 607. fusè admodum agit.

XXV.

Qvæ cum ita ſe habeant, hunc periodicum noſtro ſubjiciamus calculo. Conceptionis initium à vigeſimo Januarii nondum inchoato, ſeu decimo nono Januarii præcipuè faciendum, qvi in ordine tertius plenilunium præceſſit. Reſtant itaqve ad complendum menſem, cujus terminum novilunium, qvod die Februarii qvarto completo, ex ſupputatione mathematicâ, incidit, conſtituit ſedecim dies.

XXVI.

Qvod enim non opus ſit, ut primus menſis, ſeu conceptionis integer aſſumatur, ſed conceptione proximè ante plenilunium factâ, ſedecim dies, vel etiam qvindecim menſis Lunaris ſufficiant eleganter deducit *Medicorum* illud Lumen Adrianus Spigelius Bruxellenſis in epiſtolâ de incerto partûs tempore ad inclytos Germanos Studioſos in Academiâ Patavinâ. Qvam doctrinam hauſiſſe videtur ex Hippo-

Hippocratis lib. de Septimeſtr. part. Sect. 3. p. m. 37. l. 3. 4. C. F. & lib. de Octim. part. p. 41. & ex Galeno, qvi expreſſis hanc proſeqvitur verbis libr. de Octim. partu Oper. Medic. Tom. 1. p. m. 1226. C.

XXVII.

Hác tamen lege, ut ſeqventes qvinqve menſes dinumerentur, non ut primus, mutili, ſed integri. Qvibus cedunt, juxta noſtrum calculum 136. dies cum ſedecim horis. Hac ratione ſumma horum erit dierum 152. horarum ſedecim. Qvibus de 173. diebus ſubductis remanent dies viginti, horæ octo, ſeptimo menſi. Hoc modo qvin ſeptimeſtrem hunc partum & vitalem indigitemus, nihil prohibet.

XXVIII.

Si qvis autem menſis Synodici numerum omninò rationum normam conſtituendam velit, obſeqvioſum me præbebo, nec tamen causâ meâ cadam. Nam primò menſi primo dies ſufficere

ſedecim, initio numerandi à plenilunio facto extra controverſiam poſitum eſt apud authores, etiam hujus rei Cenſores exactiſſimos, Zachiam, Horatium Augenium, Ludov. Mercatum &c. nixos authoritate Hippocratis, & rationibus non contemnendis. Nec in dubium vocatur, qvod qvinqve menſes ſeqventes integri contineant 147. dies, ſiqvidem $29\frac{1}{2}$ dies in qvinarium ducti numerum, talem efficiunt ſummam: qvæ prioribus ſedecim diebus addita producit 163. qvi de 173. ſubducti numero, decem reliqvunt dies pro menſe ſeptimo.

XXIX.

Hæc ſupputandi ratio genuina, & recipienda ſuo nititur fundamento, ſcilicet, qvod ſpatio 163. dierum iſtorum ſex comprehendantur Luminarium conjunctiones, & ſex oppoſitiones. Seu, ut clariùs dicam, qvia ſex plenilunia, & ſex novilunia adimplet: ſeu ſex completos complectitur menſes Lunares.

nares. Reliqvi decem reſidui ſeptimo adjudicandi ſunt Menſi, ad complendum dimidium anni Lunaris. Videatur Hieron. Cardan. l. 1. tract. 3. Contrad. 8. p. m. 150. & 137. & 151. Et hanc rationem à pleniluniis, & noviluniis deſumtam, iisq; completis, à nullo contradicentium ritè refutatam memini.

XXX.

Verum obicem hîc pleriqve ponere conabuntur, qvorum oculos antiqvitatis authoritas nimium perſtrinxit, contendentes, ſupra iſtos qvinqve integros menſes medios cum primi dimidio, ſeu 163. dies adhuc viginti deſiderari ad complendos 182. dies dimidii anni, qvos exigunt Hippocrates, Galenus, Plinius l. 7. natural. hiſtor. c. 5. p. m. 68. qvos etiam Zachias ſibi propoſuit imitandos. Pleriqve hîc, ne ab Hippocratis doctrinâ latum qvidem ungvem diſcedant, hinc & inde, neſcio qvæ qværunt effugia, attamen animo veritatis avido non ſatisfaciunt, convicti

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

victi ipſi, natos eſſe infantes longè citius.

XXXI.

Horatius Augenius magni nominis Vir Epiſtol. & Conſult. *Med*. l. 6. p. m. 543. cum ipſius judicium de partu ſeptimeſtri dierum 174. dierum reqvireretur ad Illuſtriſs. & Reverend. Bozutum Cardinalem præmiſſis rationibus ſuis concludit, qvod hæc anticipatio ſit naturæ aſſveta in omnibus ferè ejus operibus, ſeq; vidiſſe ipſum partus dierum 179. & 1 8. Sic Avicenna refert, lib. 9. de natur. animal. cap. ult. ſexto menſe natum benè vixiſſe. Refert antea nominatus Adrian. Spigelius in S. Epiſtolâ, qvod Tabellarius Zelandiæ ſexti menſis initio natus, & hoc nomine Urbis *M*ediobürgenſis teſtimonio publico gaviſus ſit. Valleſius lib. de ſacr. Philoſoph. cap. 18. p. m. 126. partus ſui ſeculi qvinto menſe editi (qvem tamen juxta Hippocraticam ſupputationem ſexto arbitror) meminit.

XXXII.

XXXII.

Idem legere licet in Obſervat. Schenckii l. 4. Obſervat. cap. 41. Pincernam Regis Galliæ genuiſſe filium qvinto menſe. Renatus Schoppinus Curiæ Pariſienſis Advocatus Senatus Conſulto Pariſienſi Patrem pronunciatum dicat hæredem filii qvinto menſe matris execto ventri editi, & ſpiraſſe viſi lib. 3. de privilegiis ruſticor. cap. 8. usqve adeò in phyſicis alterationibus vix qvicqvam eſt omninò aut impoſſibile, aut neceſſarium. Panciroll. nov. repert. lib. 2. tit. 10. de Horol. p. m. 470.

XXXIII.

Cardanus Contradict. 8. tract. 5. l. 1. p. 143. ſcribit de puellâ annum tum agente decimum octavum, qvam Uxor Petri Sorani, Venditoris Vini Cretici Venetiis enixa eſt die à conceptione centeſimo ſexageſimo octavo, poſt abortum fætus maſculi. Item de alio fætu 170. dierum. Item de alio qvinti

menſis: ibi demum in hæc verba prorumpit. Talia ſingulis diebus accidunt experimenta: Qvod ſi diffidentia horum fætuum vel negligentia multos ſuperfuturos non occideret, longè freqventiora hujus rei apparerent exempla. Idem ex Ferdinando *M*enâ Comment. ad cap. 4. de Septimeſtr. partu narrat contigiſſe matri pudicæ, honeſtiſſimamq; vivendi rationem nactæ, ut qvinto pareret menſe. *Nota eſt adhuc vivis hiſtoria de Mercatore qvodam cui ſecundus an tertius ambigo in Conjugio natus filius ſexto menſe vitalis, ſed membris teneris.* Et qvis omnia exempla recenſeret?

XXXIV.

Zachias Qvæſt. *M*edicoleg. tit. 2. qvæſt. 2. §. 10. cum tot & tantorum Authorum fidem in dubium vocari ipſi religio foret, ut tamen urbanius elaberetur, regerit: hæc miracula eſſe, & caſu facta. Verum, qvod pace tanti Viri dixerim, Phyſico non congruit rationes

ones alicujus operationis naturalis, ejusq; rarioris editi reddituro Naturâ poſtpoſitâ ad primum rerum authorem DEUM confugere. Si facili hoc negotio tela nobis adverſa declinare, ne nos feriant, liceret, Phyſici in inqvirendis cauſis naturaliibus juſto diligentiores & moleſtè ſeduli hactenus fuiſſent, qvod rariorum eventuum cauſas tàm anxiè indagarint. Medicina, me hercule, miraculorum ſyſtema foret, qvæ qvotidiè occurrentes caſus, & morborum varietatem à lege Hippocratis, Galeni, imò totius antiqvitatis longiſſimè digreſſam deprehendit.

XXXV.

Potius moderni Medici, neglectis antiqvorum regulis veritatem Medicam phyſicis rationibus nixam eruunt, & demonſtrant. Hîc rationes naturæ conformes, (ut in ſeqventibus patebit) ſuppeditant, qvibus inhærendum. Magis laudanda Hieronymi Cardani ſedulitas, qvando citat. loco p. m. 152.

reſpondit, duplicem dari ſeptimeſtrium partuum terminum, alium imperfectum ſeu primum, alium perfectiſſimum ſeu ultimum. Hunc 182. dierum conſtituit: partusq; qvo proximiores huic ultimo, robuſtiores, magisq; vitales eſſe.

XXXVI.

Rationem reddit evidentem, qvare priori termino admodum propinqvi in lucem progreſſi (qvod dubio procul ſæpius contingat, in tantâ autem hominum multitudine non advertatur) rarò vivant; ſcilicet, qvod vix ulli illorûm ſcil. ſeptimeſtrium, accidat, ut plenilunio concipiantur. Noſtro autem puero contigit. Siqvidem nuptias die 19. Januarii celebratas excepit die 21. Januarii horâ ferè ſeptimâ plenilunium. Qvidam authorum hanc rejicit Cardani diſtinctionem, qvod in Hippocrate non extet. Verum qvam lubrica ſit hæc excuſatio, qvivis facilè animadvertit. Etiamſi Hippocrates

ſcriptis

ſcriptis non tradiderit, tradidit tamen poſteris experientia.

XXXVII.

Obiter hic ex Cardano notandum, qvod menſium acceptorum varietas ſcil. lunarium, & ſolarium inter concordes etiam authores diſſidium pariat, & contradictionem. Prout, qvem Nicolaus Mena ſexto menſe natum introducit ſeptimeſtrem appellandum vult, qvod is ſolarem triginta ſcil. dierum menſem acceptet, ut fætus in utero moratus ſit dies centum & octuaginta.

XXXVIII.

Horatius Augenius lib. I. de partu cap. 20. p. m. 38. hanc impugnare conatur ſententiam. Sed contentio eſt de ſolo nomine, de qvo litigantes oleum & operam perderemus. Optimè Galenus Oper. *Medic.* tom. 6. lib. 2. de Meth. *Med.* p. m. 55, largitur, morbum aliqvis blitytin & ſcindapſum, barbaris vocabulis indigitet, modo de re conveniat.

niat. In re ipsâ optimè Horatio Augenio cum noſtro Cardano convenit, dum loco cit. p. m. 39. partum illius mulieris, qvem ibi introducit 168. item alium 171. item alium 174. dierum eſſe vitalem, & cauſis naturæ non repugnantem. Cui ſententiæ etiam Epiſtol. Medic. l. 6. p. m. 543. inhæret.

XXXIX.

Qvi etiam hoc nomine laudem demeretur, qvod in verba Hippocratis (prout Alexander Maſſarias, qvi libr. 1. de peſte p. m. 496. cum Galeno errare, qvam cum recentioribus vera ſentire non tacitè præoptat) non juraverit, ſed apertè innuerit, partum minus 182. dierum Hippocrati non innotuiſſe, nec propriâ, nec obſtetricum experientiâ. Cui manu ſubſcribo eò promptiore, qvo majorem deprehendo in Spigelio Viro incomparabili alacritatem cum eâdem ratione, in eodem caſu, Ariſtotelis ſe opponeret authoritati, qvi rectè, non qvis, ſed qvid dicatur, attendi

dit. Facilè etiam venerandi noſtri Senis manes veniam mihi concedent, utpote qvi adhuc vitæ ſuperſtes adeò ingenuus fuit, ut ſuos confeſſus ſit, ſi qvos commiſit errores. Prout fecit, cum deciperetur ſuturis capitis lib. 5. Epidem. ægro 27. & 26. qvod magni ingenii argumentum laudat Celſus l. 8. de re Medic. cap. 4. p. m. 396. Nec dubito, qvin ſi fata illum ſuperſtitem voluiſſent, tot exemplis tantorum Virorum convictus, axioma hoc de dimidio anno ſeu 182. dierum emendaret.

XL.

Canon Logicus eſt, qvod teſtimonium humanum negativè non valeat. Vid. Keckerm. Logic. Syſtem. l. 3. c. 8. p. 504. cujus ductu nulla ſeqvela eſt: Petrus non vidit Romam, Ergò non eſt: non audivit campanæ ſonum, E. non ſonuit. Alius potuit videre, audire. Non valet: Hippocrates & Galenus nil ſcripſerunt de variolis & morbillis, de deſtillationibus aqvarum, de conficiendis

ciendis Syrupis & Conſervis &c. Ergò & noſtra Medicina ignorare vel negligere tenetur. Hinc Julius Cæſar Scaliger Exercit. 306. conqveritur, qvod nihil infelicius ſit iis ingeniis, qvæ mordicus ſentiunt, Majores noſtros nihil ignoraſſe, & qvæ, ut idem de cauſis ling. Latin. cap. 67. ſcribit, pertinaciter tuentur errores, qvos illi ipſi, qvi commisêre, ſi viverent, emendarent.

XLI.

Ipſe Galenus lib. 2. de Compoſ. Medic. ſec. loc. p. m. 491. Tom. 5. Oper. Medic. C. cum paulò ante Archigenem Medicum longè excellentiſſimum laudaſſet, tandem concludit: Non tamen in omnibus ſanè, qvæ tradidit, irreprehenſibilis mihi videtur. Verum velut ipſe plerosqve Virorum illorum, qvibus adjutus optimus evaſit, reprehendit, ſic par eſt, ipſum delinqventem à nobis poſteris redargui. Difficile enim eſt, ut qvi homo ſit, non in multis

peccet,

peccet, qvædam ſcilicet penitus ignorando, qvædam tandem negligentius ſcriptis tradendo.

XLII.

Indubitatæ veritatis eſt illa ſententia Comici: Nunqvam ita qvisqvam benè ſubductâ ratione ad vitam fuit, qvin res, ætas, uſus, ſemper aliqvid apportet novi, aliqvid moneat, ut illa, qvæ te ſcire credas, neſcias, & qvæ tibi putaris prima, in experiundo repudies. Videatur Sennertus in Epiſtol. ad Lectorem, præmiſsâ inſtitutionibus, ubi addit: præcipuè in naturæ obſcuritate & veritate eruendâ: & qvidam in hàc vitæ brevitate, ob qvam, ubi vix ampliſſimum iſtum naturæ campum ingreſſi ſumus, atqve in hàc veritatis palæſtrâ nos rectè exercere didicimus, lampada aliis tradere cogimur.

XLIII.

Majeſtas Authorum, Naturæ Majeſtati cedat, æqviſſimum eſt. Potius nobis gratulemur, æqvum eſt, de

noſtrâ

noſtrâ felicitate, qvod ſeculo adeò erudito fruamur, in qvo artes ferè omnes, qvæ olim exiguum ſortiebantur initium, in ſublimi ſtant; nec experientiæ refragemur, qvæ multa detegit, noſtræ rationi ferè non congrua. Ex cineribus vitrum adeò pellucidum fieri hodiè notiſſimum eſt. De qvo niſi experientiâ conſtaret, cui id rationibus facilè perſvaderi poſſet? aut qvid contradici non poſſet? Sennert. l. de Conſenſ. & diſſenſ. Chym. cap. 2. p. m. 26. Multis aphoriſmis Hippocratis, qvi tamen autentici reputantur, extra omne poſiti dubium, experientia & obſervationes modernorum *M*edicorum detrahunt, qvod deducturos nos ſigillatim dies deſtitueret.

*X*LIV.

Interim toti antiqvitati maximas debemus gratias, & laudes, qvod benigna in poſteros ſuâ fuerit eruditione: & maximè Hippocrati agimus, qvi divino ingenio præditus ex parvis & vulgaribus

garibus initiis in magnam artem Medicinam perduxit, ut loqvitur Pætus in Epiſtol. ad Regem Artaxerxem, qvæ extat Oper. Hippocr. ſect. 8. p. m. 3. Cod. Foëſ. Sed pergamus in diſſolvendo nodo.

XLV.

Admiratione teneor, qvî fiat, qvod Authores adeò ſtrictè termino Hippocratico 182. dierum ſeu dimidii anni ſolaris inhæreant, & ante illum completum fœtui perfectionem denegent, cum tamen largiantur, Lunares & non Solares menſes ad examen revocandos eſſe. Exinde etiam, ſi iſta hypotheſis aliqvid valoris haberet, dimidium anni Lunaris eſſet recipiendum, qvod foret 163. dierum. Viginti namqve ſeptem dies & octo horæ in duodecim ducti tot producunt, menſis ſcil. periodici. Si Synodicus deſideraretur, juxta tabulas Prutenicas foret 177. dierum, 4. horarum, 24. minutorum. Vid. Origan. introduct. Ephemer. p. 1. c. 2.

c. 2. p. 33. Ex $29\frac{1}{2}$ in duodecim ductis.

XLVI.

Qvare nullam video rationem dimidii anni implendi, qvam Hippocratis ſeculo non alium fuiſſe obſervatum. Qvod argumentum qvem habeat vigorem, ex præcedentibus jam patet. Hippocrates ætatem ſecuta ſecula dimidio anni Lunaris editos partus vitales obſervarunt, ſcil. dierum 163. 164. 172. 173. &c. Qvos terminos nobis, ceu legitimos largiantur neceſſe eſt, ex propriâ ipſorum menſium ſupputatione Lunarium, exortos, aut terminum 182. dierum planè diverſæ naturæ eſſe, ab iſtâ, qvam approbarunt, & ex qvâ emergit, ſupputatione Lunari. Qvorum poſterius qvi aſſerit, aſſerere videtur, ex additione duorum numerorum ejusdem ſpeciei v. gr. qvadratorum emergere ſummam alienæ conditionis & nominis v. gr. Cubicam, qvod nemo facilè dixerit.

XLVII.

XLVII.

Et qvare qvæſo partum certo puncto ſeu hebdomadi alligandum Authores adeô acriter defendunt, qvi tamen Chronicos imitatur morbos? Cum non neſciant in morbis etiam acutis, qvorum tamen propria eſt criſis, & qvi ob celeriorem motum, & evidentem alterationem neqvaqvam à meta ſeu præfinito die critico aberrare debebant, modo anticipationem, modo procraſtinationem deprehendi: prout motus Lunæ & aſtrorum cum Planetis coctioni humorum & diſpoſitioni ſubjecti vel ſuccurrit, vel occurrit. In hominis autem formatione de termino exacto contendunt.

XLVIII.

Inde doctrina de criſibus tota implicita eſt controverſiis, & diſſenſus oritur, num 17. 20. vel 21. ſit pro die critico reputandus &c. Galenus has difficultates diſpiciens Tom. 4. Oper. Med. c. 3. de dieb. decretor. p. m. 607. B. ſuum

ſuum etiam in hâc re defectum agnovit, dum qvod ſolus DEUS ſciat dies criticos numerandos ſentit. & ibidem p. m. 608. Deos in teſtimonium vocat, ſe hæc (de diebus decretoriis ſcil.) amicorum precibus vehementer adactum ſcriptis mandaſſe. DEUS ſolus, optimo jure dicere poſſumus, novit noſtri corporis formam, terminos, cujus digitus in utero Matris nos figuravit.

XLIX.

Qvæſo dimidium anni adeô exactè dinumerandum volunt, & ipſe Galenus Obſerv. Tom. 4. de diebus decretor. p. m. 606. n. 9. A. aſſerit, qvod nec annus (ergò nec ejus dimidium) nec menſis integris numerentur diebus. Hinc finis ſecundæ ſeptimanæ cum initio tertiæ incidit, ut *M*edicis omnibus notiſſimum. Criſeos (cui aſſimilari partum ſæpius jam dictum) anticipatio, & qvæ inde ſymptomatica dicitur, evacuatio, ſi ſolo tempore pec-

cet,

cet, non culpanda, utpote qvæ naturæ robur, & materiæ coctionem demonſtrat celeriorem.

L.

Exemplum nobis ſuggerit Hippocrates lib. 1. Epid. Comm. 3. Ægr. 13. ſ. text. 30. *Mulier* qvædam prægnans ſine damno & abortu qvinta die ſudore judicata eſt. Vid. etiam Hippoar. 3. Epidem. Comm. 1. text. 14. & ſeqq. Valleſ. Controv. Med. & *Philoſoph.* l. 5. c. 3. p. m. 205. l. 34. Nos verò improbemus naturæ conatum ſeu partum ſolùm eo nomine, qvod non præcisè ceciderit in diem 182. ſeu qvod ſolo tempore delinqvere videtur, non attendendo matris conſtitutionem naturalem, nec formatricis facultatis operationes varias, nec alias, qvæ hic occurrunt, circumſtantias?

LI.

Potius, ſicut criſeos prævenientis cauſis adductis Naturam erroris ſuſpicione in uno liberamus caſu, liberemus

mus in alio conſimili planè. *Maturantis* autem hunc partum naturæ cauſas attentus rerum phyſicarum & medicarum Scrutator indagare poterit, qvæ ſuppeditant non contemnendæ. Duplex autem qværenda cauſa, & celerioris formationis, & celerioris exitûs.

LII.

Primum de formationis opere acturis nobis Natura parentum ipſa ſuppeditat argumentum. Matris thema natalitium erectum mihi penitiùs contemplanti examinatis temperiei ſignificatoribus, ſive propria naturâ, ſive ſignorum gaviſis, juxta normam & doctrinam magni iſtius Aſtronomi Dn. Davidis Origami Introd. Ephemer. p. 3. c. 5. p. m. 567. in conſpectum ſe dederunt qvinqve teſtimonia caliditatis, cum totidem temperati & blandi caloris: itemq; tot humiditatis, unum frigidum, duo ſicca.

LIII.

Deducta ſunt hæc, ut moris eſt, ex Horo-

Horoſcopi ſigno, ejus Domino, ex aſpectibus cum Aſcendente cognationem habentibus, ex conſtitutione Lunæ, ejus Domino & aſpectibus: ex anni tempore & Domino totius figuræ cœleſtis ſatis exactè. Meritò namqve non ſolum ex inferiore causâ, ſeu conſtitutione corporis peculiari, ejusq; ſignis; ſed etiam ſuperiore ſeu aſtrorum influxu fundamenta qværamus opus eſt. Qvod conſtitutiones corporum ex aſtris determinationem adipiſcantur, etiam artis minus periti agnoſcunt, nedum artifices.

LIV.

Hæc teſtimonia temperaturam conciliant calidam & humidam, qvam ſangvineam (utor hâc loqvendi formâ, ſicut uſus eſt Galenus lib. 2. de temper. cap. 6.) humanæ naturæ maximè convenientem Gal. l. 6. de tuend. ſan. cap. 3. item 5. de ſimpl. Medic. facult. cap. 3. teſte colore faciei admodum florido ſeu roſeo. Hinc ante qvatuor annos, anno ætatis decimo ſeptimo pleuritide

conflictata eſt: qvod argumentum eſt conſtitutionis calidæ. Vid. Senn. Prax. l. 2. c. 16. p. m. 277.

LV.

Hæc conſtitutio omnibus actionibus peragendis aptitudinem præſtat, & modum in iis ſervat inter omnia reliqva temperamenta feliciſſimè concoqvit. Senn. Inſtit. l. 3. p. 1. ſ. 2. c. ult. p. m. 618. coctiones autem feliciores boni ſangvinis abundantiam cumulant, & blandè illi calori naturali ſubindè conveniens ſuggerunt pabulum. Qvo major copia boni ſangvinis, eo plus ſeminis, ejusq; Spiritibus optimè impraegnati generatur. Hæc duo ſemen & ſangvis proxima generationis noſtræ principia, Senn. Inſtit. l. 1. c. 3. p. m. 12. qvo melioris ſunt conditionis, eò citius formatrix facultas ſuas exercere novit vires.

LVI.

Sicut enim ſparſa humi ſemina, qvo plus humidi congeniti, & calidi nativi obtinent, eo citius à calore Solis in

actum

actum deducta erumpunt: ita etiam genitale ſemen, qvo fœcundius eò citius à calore illo blando & maximè temperato (nam excedens limites naturæ ordinem potius deſtruit) adjuvantibus aſtris perficitur. Qvi in locis ſeptentrionalibus aliqvando degit, ad elevationem poli 57. grad. vel 60. &c. Obſervator teſtari poterit, ferè menſe Majo præcipite ſemina conſpectius prodire ſeu creſcere ſerius, ſed tantâ celeritate perfici matura, ut meſſis tempus ipſis cum noſtro in inferiori Saxoniâ coincidat, eo qvod Sol, propter Zodiaci obliqvitatem diutius ſupra Horizontem commoretur, & intenſiorem imprimens calorem acceleret maturationem. De qvâ caloris operatione in opere generationis, excitantis formatricem, Vide elegantem diſcurſum apud Joh. Baptiſtam Montanum Med. part. 1, p. m. 120. 121.

LVII.

Qvod temperatum, nec à conſtitutione naturali nimis exorbitans, phy-

ſicè loqvendo, maximè aptum ſit generationi corpus etiam Origanus teſtatur Introd. Ephemerid. p. 3. c. 12. p. m. 639. & Sennert. Inſtit. l. 1. c. 10. p. m. 110. apertè loqvitur ſic: Cur autem nonnulli tanto temporis ſpatio conſvetum partûs terminum præveniant, cauſa procul dubio eſt in temperie ſeminis & ſangvinis, unde facultatis robur, & debilitas dependet. Sicut enim enim in criticis diebus Lunæ vis qvidem maxima, ſed ſola non ſufficit, teſtante experientiâ & ratione, qvare ei humorum diſpoſitio & motus, itemq; natura ſubjecti adjungenda. Vid. Senn. Inſtit. l. 3. p. 3. c. 12. p. m. 897. ita etiam fætus diſpoſitio cum *M*atris Naturâ & conſtitutione, juxta Lunaris motus vires ponderanda.

LVIII.

Hoc autem benefieio omnes ſangvineæ, qvâ noſtra hæc puerpera, non gaudent, in qvâ unâ peculiaris naturæ deprehenditur, & uteri conſtitutio, fæcunditatis compos, qvam figura cœleſtis ipſi elargita eſt inſignem. Siqvidem

dem Venus, qvæ partibus generationi dicatis, hepati, & ſpermati præeſt, teſte Origano Introd. in Ephemerid. part. 3. c. 13. p. m. 651. in hujus Matris themate in medio cœli ferè circa culmen ſpatiata, & ſex fortitudinis teſtimoniis condecorata, Dominum totius genituræ, ex ſententiâ Julii Firmici lib. 4. c. 12. legitimum vid. Origan. Introd. Ephemer. part. 3. c. 3. p. m. 557. ceu fortiſſimum, conjunctione platicâ ſibi univit, Mercurium. Qvi qvia nullam propriam habet naturam, ſed aliis adſtipulatur, Vid. eundem Origan. ibid. part. 3. p. m. 403. earundem virium, & ejusdem putatur effectûs.

L I X.

Et, qvod notandum, conjunctio iſta in ſignum cecidit fæcundiſſimum ſcil. cancrum. Vid. Orig. 16. c. 3. p. m. 411. Lunæ dicatum, in exaltatione & termino Jovis. Jove viciſſim in exaltatione & domicilio Mercurii ſcil. virgine exiſtente. Vid. Tabul. dignit. eſſent. Planetarum in Origan. ibid. p. m. 425. c. 4.

Huc pertinet Regula Schöneri lib. 1. cap. 13. de judic. Genit. qvod Mercurius habens convenientiam cum fortunis (hîc cum utroqve habet ſcil. Jove & Venere ſimul) qvandoqvidem illorum induit naturam, liberorum præventum adaugeat. Vid. etiam Cardan. in Comment. ſuper text. 43. ſ. cap. 6. lib. Qvadr. Ptolomæi. Qvæ conjunctio felicitatur amico radio ſcil. ſextili Fortunæ majoris Jovis, ex ſigno, Domino Geniture dicato Virgine.

LX.

Præterea hujus conjunctionis dominium ſibi vendicat ipſa Luna, in ſigno duplici Geminorum recepta ex domo cum Mercurio, ut ex citatâ Tabulâ Dignit. Eſſent. Planetar. intelligenti patebit. Ipſa pars Liberorum, de qvâ Haly Vid. part. 4. cap. 10. & ultim. & Schönerus in initio lib. 1. de judic. Genit. in Undecimâ fæcunditatis conſignificatrice Domo reperitur. Ubi etiam Regulus extat, Stella fixa primæ magnitudinis, referens naturam Jovis & Mar-

& *Martis*, maximè benefica & evidentis effectus: ut ipſi etiam aſpectus tribuant in ſpeculo aſpectuum.

LXI.

Intendit hanc ſignificationem alia in Horoſcopo (qvi etiam ratione generationis examinatur à Mathematicis, & mediocriter fæcundum ſortitus eſt ſignum Libram) conſtituta Stella fixa primæ magnitudinis de natura Martis & Veneris. Ipſum Lunæ Corpus favorabili aſpectu trigono qvintam, ſeu liberorum domum mediocriter fæcundo ſigno inſignem intuetur. Deniqve Mars, cujus regimini parent venæ & pudenda. Vid. Origan. Introd. cit. loc. p. m. 651. hîc in ſigno fæcundiſſimo, & duplici, piſcibus, fortem partibus generationis communicavit generandi vim, & calorem citius formando fætui accommodavit.

LXII.

Non itaqve mirum, ubi Planetæ partibus generationis addicti qvaſi de fæcunditate implantandâ pacti eſſent,

unanimi concurrerunt niſu, qvod ſuo influxu utero robur conciliàrint, & formatrici Facultati qvaſi calcar ſubdiderint. Prout enim fæcundius ſolum, ſuo gremio tepefactum ſemen fovet, & citius, qvam arenoſa tellus elicit (qvod etiam Zachias Qvæſt. Medicoleg. Tit. 7. Qvæſt. 3. n. 49. concedit) ita uterus hic & manifeſtis, & tot occultis adjutus influentiis conceptum ſemen breviori perficit ſpatio.

LXIII.

Nec, qvod diſpoſitionis illius cœleſtis vim occultam aliqvis in dubium vocaturus ſit, reor. Siqvidem Lunam tam manifeſtâ, qvam occultâ influentiâ dies promovere criticos concedimus. Vid. Sennert. Inſtit. l. 3. p. 3. c. 12. p. m. 890. qvare toti aſtrorum concentui & harmoniæ in nativitatis horâ in corpus noſtrum demiſſæ illud denegemus, non video.

LXIV.

Cujus fæcunditatis conſortem Mater, ſtatim ut concepit, reddidit filium, non ſolum ſemine proprio in uterum

rum ejecto, & virili exactè permixto, ſed etiam ſangvine pro nutritione partium materiam ſubminiſtrante. Vid. Heurn. Inſtit. *M*ed. l. 5. de procreatione Homin. cap. 4. p. m. 142. Sennert. Inſtit. *M*edic. l. 1. c. 10. p. m. 91. maximè cum fætus corpus non ſolum matris corpori contiguum, humoresq; & Spiritus â Matre in fætum deriventur, & cum Matris humoribus & Spiritibus ſint continui: ſed etiam ſuo modo fætus ab animâ Marris, qvam diu vivit in utero, dependeat. Sicut in arbore fructus, etiamſi ſemen jam perfectum, & fæcundum contineant, aliqvo modo, donec decidant, de vitâ arboris participant.

LXV.

Qvo argumento utitur Sennertus l. 4. Prax. cap. 7. p. m. 607. qvando â Matris imaginatrice facultate fætui nænævos imprimi demonſtrat. Hinc, qvæ membra Matris, tempore geſtationis ſ. impiægnationis aliqvis error externus afficit, afficit idem eadem fætûs membra. Senn. l. cit. p. m. 402, novit fæmi-

nam, cujus *M*ater cum ſub moro ſtaret, in qvo alius mora legebat, & mora aliqvot dorſo ejus inciderent, ipſa in dorſo tot excreſcentias habuit, qvæ mora & figurâ, & calore repræſentarent, qvot mora ex arbore dorſo *M*atris fuerant illapſa. Et talia apud Medicos & Hiſtoricos exempla plurima, imò etiam vulgò nota ſunt, ut ea recenſere omninò prolixum foret, & ſupervacaneum.

LXVI.

Æqvè ac ex calvis calvi, ex macrocephalis, macrocephali progignuntur. Hippocr. de Aer. aq. & Loc. ſ. 3. p. 289. Cod. F. aut virtutis patriæ exerendæ qvalitas communicatur filio, ut fortes creentur fortibus & bonis Horat. Carm. l. 4. Od. 4. imò victûs error à gravidâ commiſſus fœtum hæreditariæ imbecillitatis reum agit. Galen. Oper. *Med.* Tom. 1. l. 14. part. p. m. *745*. D. Hinc non adeò admirandum, qvod in hoc fætu fæcundiſſimæ *M*atris peculiaris geniture & naturæ conſcio formatrix Facultas opus acceleraverit, & qvidem maſculini ſexûs infantem. Nam

LXVII.

Inter omnes ferè authores conſtat puerperium fæmellæ longioribus temporum intervallis abſolvi, Vid. *M*ercat. Oper. *M*ed. tom. 4. l 4. c. 1. p. m. 704. G. id qvod tam in abortibus, qvam in prægnantium animalium diſſectionibus animadverſum fuit. Galen. Oper. *M*edic. Tom. 1. l. 7. de ſemin. p. m. 1217. C. & ratio eſt in promptu, ſiqvidem ex robuſtiore ſeminis maſsâ elaborantur mares, Hippocr. lib. de genit. ſ. 3. p. m. 13. l. 12. Cod. Foëſ. utpote fæmellis perfectiores Gal. l. 14. de Uſ. part. Tom. 1. p. m. 740. D. calidiores & ſicciores: fæminæ verò frigidiores & humidiores *M*ercat. Oper. Med. Tom. 1. l. 1. part. 2. Claſſ. 4. Qvæſt. 53. C. D. E. Vidus Vidius lib. de Curat. generatim. 12. c. 7. p. m. 127. *M*ercurial. de Morb. *M*ulier. l. 4. c. 1. p. m. 257. Vid. etiam Zachias Qv. Medicol. tit. 1. Qvæſt. 6. n. 51.

LXVIII.

Qvod utriqve per exordia in talibus nati ſunt, & ex talibus concreverunt,

runt, Hippocr. l. 1. de vict. rat. ſ. 4. p. m. 27. l. 28. Galen. l. 2. de ſem. tom. 1. p. m. 1217. C. & Comm. 5. aph. 48. Qvoniam in calidiore ſolidioreq; dextrà ſcil. Uteri parte *Mares* conficiuntur. Hippocr. 5 aph. 48. & lib. 6. Epid. ſ. 2. aph. 34. ſect. 7. p. m. 263. C. Galen. lib. defin. Med. tom. 1. p. m. 179. D. Qvorum principium venarum matrices nutrientium eſt cauſa. Galen. l. 14. de Uſ. part. p. m. 746. B. dextra pars eſt calidior, propter hepatis vicinitatem. Gal. Comm. in aphor. 48. ſect. 5.

LXIX.

Hinc ex dextro teſte ſemen maſculo generando aptum profluit, qvi obligandus, qvoad maximè fieri poterit, ſi fæminæ; ſiniſter, ſi maris procreatio expetitur. Hippocr. lib. de ſuperf. ſ. 3. p. m. 46. l. 44. Id autem in Hippiatrinâ à Ruſticis aliqvando obſervatum animadvertitur, ut ſi qvando marem generari cuperent, ſiniſtrum admiſſarii eqvi teſticulum obligarent. Foëſ. in Not. ad hoc cit. p. m. 118. l. 20.

LXX.

Solus Plinius hic mihi contrarius videtur, qvi Natur. Hiſtor. l. 7. c. 4. p. m. 68. ſtatuit, fæminas gigni celerius, qvam mares, ſicut & celerius ſeneſcere. Verum doctiſſimus Foëſius in Not. ad lib. 2. Epidem. Hippocr. ſ. 7. p. m. 114. cum hanc ſententiam Philoſophorum placitis repugnantem deprehenderit, mendum ſubeſſe ſcribit, & qvod gignere, non verò gigni legendum ſit: ſiqvidem fæminæ liberorum procreationi celerius maturæ fiunt, qvam mares. Qvod præcox incrementum adeſſe fæminis ſolet ob humidam naturam, & ceream membrorum mollitudinem, qvæ materiam ad auctionem reapſe efformationi ſeqvacem invitat.

LXXI.

Qvo ſenſu intelligendus etiam eſt Ariſtoteles, qvando Sect. 10. probl. 10. ait, qvod maſculina in multo perficiantur tempore, fæminina autem modico, ut rectè monet ibi in Comm. Ludov. Septalius tom. 2. p. m. 52. ſcil. poſtqvam

 inlu-

in lucem emiſſa fuerint. In Utero enim contrà evenire, teſtis eſt idem Ariſtot. l. 7. de hiſt. anim. c. 3. & 4. de gener. anim. c. 6. Hæc ratione ſexûs.

LXXII.

Ulterius in proſeqvendis rationibus fœtûs hujus brevi efformati ſuccurrit mihi contemplatio cœli tempore conceptionis conſtituti. Nuptiæ celebratæ ſunt die decimo nono Januarii præcipite. De conceptione primâ ſtatim nocte factâ nullus dubito, qvandoqvidem pridiè ejus diei menſtruus fluxus ceſſavit, à qvo dum liberatæ fuerint neceſſariò pleræqve concipiunt Hippocr. lib. de octim. part. ſ. 3. p. m. 41. l. 4. C. F. nimirum, qvod venæ propriæ ſangvine menſtruo tunc ſpoliatæ non ſolum potentiùs eliciunt genituram, ſed longè tunc ſtrictius complectuntur, ad qvod ferè ſvevit conceptio ſeqvi: cum aliàs eo oppletæ non ita avidè appetant, nec trahant, nec attractum arctè continent. Maurit. Cordæus Comm. 2. in Hippocr. l. 1. de morb. mulier. in Tom. Gy-

næceor. p. m. 568. B. & p. 262. 583. B. 584. D.

LXXIII.

Præterea uteri internæ ſuperficiei inde aſperiori factæ facilius ſemen adhæret. Qvod eleganti ſimilitudine à Cæmenteriis ductæ illuſtrat Hieron. Mercurial. l. 4. de morb. mulier. c. 1. tom. Gynæceor. p. m. 257. D. Vid. Galen. l. de diſſect. matric. tom. 1. p. m. 377. C. imò utero à menſtruo profluvio defæcato, ſi qvis fæminæ congrediatur, conceptum maximè natutalem perfici contingit, adeò ut poſtea infans in vitam productus ſaluberrimus exiſtat, ac nullis morbis, qvibus infantia expoſita eſſe ſolet, obnoxius. Levin. Lem. de occult. natur. mirac. l. 4. c. 22. p. m. 447.

LXXIV.

Tum temporis cælum qvaſi in maturandam hanc conſpiravit, & citius expediendam, ſiqvidem Sol in non ſterili ſigno Aqvario, unà cum Mercurio, Solis naturam hic aucupato conſtitutus ipſum qvintum *M*atris domicilium, generandis liberis ab omni antiqvitate dona-

donatum aggreſſus ferè trigonum Veneris in radice tetigit, Lunæ in fæcundiſſimo ſigno Cancro exiſtenti ſuas vires plena manu & lumine confertim communicato indidit. Luna proximè Veneris, fæcundiſſimæ illius Matris locum radicalem collocata in ſuo domicilio felicem obtinuit ſtatum in exaltatione Jovis: Jove viciſſim Lunæ non ſolum radicale ſignum, ſed (qvod annotatione digniſſimum) etiam ſigni, qvo Luna in Themate Matris ſuperbiebat, ferè gradum occupante, juxta ſplendidiſſimum illius Orionis aſtrum. Venus in fæcundiſſimo ſigno piſcibus, qvod Jovi addictum, exaltata reperitur. Ita ut præcipui ſignificatores felicioris ſtatûs formationi (qvod rariſſimè contingit) inſerviant, ſi hæc cœli facies cum themate matris natalitio conferatur.

LXXV.

Nam & in conceptione aſtrorum vires ponderandæ. Neqve enim minus ad corpus afficiendum poſitus cœli tam tempore conceptionis, qvam nativitatis

tis

tis poteſt; cum tota corporis natura à conceptione pendeat. Cum enim certum ſit, & Agricolis notiſſimum, non parum referre, qvo tempore, & qvo aſtrorum ſitu & aſpectu ſemina terræ mandentur: Cur non idem etiam in hominis conceptione, & qvidem multo magis accidat?

LXXVI.

Imprimis hîc Luna multum poteſt, qvæ ut plena, vel lumine diminuta, aut nova eſt, hunc vel illum cœli occupat locum, aut hanc vel illam cum Planetis & Stellis fixis configurationem habet, varias conceptui imprimit diſpoſitiones. Sennert. Prax. l.4. cap.7. part. 2. ſect. 4. p. 395. in qvâ ſententiâ etiam eſt Ludovicus Septalius lib. de nævis p. m. 10. Miror ſanè harmoniam cœleſtem, & matris thema nativitatis concepti fætus tempori adeò congruam: de qvâ non facilè aliqvis ſe idem in aliis obſervaſſe (nam rariſſimè contingit) poterit gloriari.

LXXVII.

Qvi naturæ conatus ut eò citius

in actum deducatur, Formatrici Facultati properanti auxiliatrices præbuerunt manus aliæ cauſæ ſociæ & adjuvantes. I. Inter parentes amoris ardentiſſimi vinculum arctiſſimum conſpicitur, & concordiæ, qvo animus parentis Matri ante aliqvot annos devinctus fuit, adhuc puellæ, Viri nondum potenti. Qvem in viduitate octo integros annos puellam, & ejus parentes celavit, expectaturus ipſius educationem & mores: Qvos cum demum laudabiles eſſet contemplatus, virtutis & optimæ illius famæ conditione commotus, præviis precibus eam ambivit, & à parentibus ſibi promitti impetravit. Coitus autem voluntarius & jucundus exiſtit fæcundiſſimus Lud. Mercat. tom. 4. Oper. Medic. p. m. 636. l. 3. D. de ſteril. & prægn. affect.

LXXVIII.

Ardens enim amor Venere intenſiore accumbit, & afficitur, excluſis omnibus aliis rebus, omnes Spiritus & vires huic tribuens actui. Hinc qvidam Philoſophorum juxta politicas, rationem

ionem reddunt phyſicam, qvare furti-
và geniti Venere, & illicità: itemq; vul-
garis conditiones homines, viribus
corporis & animi plerumqve polleant,
intq; legitimis longè vegetiores. Con-
tra filii Sapientum, & ſtudiis emanci-
patorum (qvi non magnoperè hanc mo-
nomachiam expetunt, aut certè langvi-
dè & oſcitanter, diſtractis ad graviora
cogitationibus, & Spiritibus debitum,
qvo pacatiores, magisq; commodas ex-
periantur uxores, exſolvunt) ſtupidio-
res ſint, & imbecilliores.

LXXIX.

Deinde Hyems huc facit non parum, qvæ excepit conceptionem, in qvâ plus nutrimenti aſſumitur, eô qvod calor nativus ſit fortior: qvi qvo fortior, eo ſangvis abſolvitur perfectius: & ob majorem benè elaborati ſangvinis copiam, ſvavior anathymiaſis, & ſomnus longior, nocte exiſtente longiore. Vid. Hippocr. 1. aph. 15. & Viſcer. in Comment. p. m. 57. Heurn. in Not. p. m. 53.

LXXX.

Verum dicam mihi ſcribent non

pauci grandem, qvibus parentis ſen
contuitis corpus effætum & virib
caſſum, ſeminis, ſi aliqvid reſtet, inf
cundi arguendum videtur. Agit nam
ille annum ſeptuageſimum. Senior
tales infirmæ ætatis dicuntur in l. Ci
tatibus 122. ff. de Legat. 1. & canitie gr
ves læſis corpore æqviparantur in Aut
de Qvæſtor. Coll. 6. imò minus vive
præſumuntur, qvam ægri. Joh. Næ
zan. in ſylvâ nupt. l 2. n. 4. Qvare Sen
& emeritos milites Cypridos caſtris e
cedere jubet Ovidius. Hinc vel ſex
genariis Viris nuptiæ olim l. Papiâ i
terdictæ erant, l. Sancimus, 27. c.
nupt. eò qvod ad generandum id ætat
homines minus cenſerentur idonei,
ex l. ſi pater 15. §. in arrogationibus
de adopt. LXXXI.

Sed hoc telum me non feriet: m
tô minus meam ſemel conceptam co
vellet opinionem. Medici experient
& rationibus convicti Senibus etiam
ptuaginta & plurium annorum ſpe
generandi omnem non præcludunt.
Schenc

Schenck. Obſerv. Med.122. l.4.de Concept. p.m.225. ex Maſſæ Epiſt.29. tom 2. refert de Venetâ muliere nobiliſſimâ, qvod ſexagenaria ex ſeptuagenario Sene conceperit & enixa ſit infantem. Et idem p.m.228. accidit Nicolao de Palavicinis habente filium à ſe generatum in anno centeſimo ex Savanorolâ tract. 6. cap. 21. rubr. 23. Vidit Alexander Benedictus ſuis oculis prolem à Germano ex Conjuge caſtiſſimâ ſuſceptum, qvod teſtatur l. 2. de Curat. *M*orbor. cap. 11. & p. 229. ex Bernh. Scard. l. 2. Claſſ. 9. hiſtor. recenſet, qvod Sigiſmundus Polcaſtrus *M*edicus & Philoſophus Patavienſis ſeptuagenarius ad ſecunda vota acceſſerit, & tres ante ſuum fætum, qvod expertus eſt anno ætatis nonageſimo qvarto, oſculatus ſit ſuos filiolos.

LXXXII.

Noſtrâ ætate Civis Stetinenſis anno ſuæ ætatis ſexagimo primo ad ſecunda vota acceſſit, & ex Conjuge optimæ famæ, & honeſtorum morum, genuit octo filios, & duas filias. Qvorum libe-

rorum

rorum major pars adhuc vivit. Diem obiit extremum demum anno ætatis nonageſimo. Qvod ſi is alternis ſaltem annis unum ſuſcepiſſet ſuorum liberorum, tamen anno ætatis octuageſimo primo adhuc generaſſe dicendus foret. In Pomeraniâ notisſimum de Viro magno, qvod qvi octuaginta annorum cum eſſet, genuerit liberos, qvi adhuc vivunt, Patre anno 1646. fatis cedente. Ante triginta annos Lipſiæ Senator ſexagenarius poſt ſecundas nuptias procreavit qvatuor filios, & *M*ercator ibidem ſeptuaginta qvinqve annos natus filium ex *M*atre juvenculâ, ante qvindecim annos. Qvalia exempla toties obviam oculis obverſantur, ut dubitandi nullus amplius locus ſit relictus.

LXXXIII.

Moderni itaqve *M*edici ſibi conſulentes in definiendâ & diſtingvendâ ætate prudentes certum annorum numerum asſignare recuſant, magis ætates ſecundum calidi nativi robur vel decrementum metiti. Siqvidem virtus ad a-

ctiones

ctiones ex temperamento potius comparatur, qvam ex tempore, ut loqvitur *Mercatus* tom. 4. Oper. *Medic.* l. 3. c. 1. p. m. 636. F. & complexionis conditionem ætatem ſupplere. Idem ibid. p. m. 637. A. qvod admodum eleganter & fuſius tractat tom. 1. Op. *Medic.* l. 1. Claſſ. 4. part. 2. Qvæſt. 54. p. m. 106. A. ætates nullâ lege, nullo annorum numero, neqve communi methodo metiendas, æſtimandasq́; eſſe: ſicut multa, qvæ in his inferioribus mutationes ſtatas, determinatas periodos ſortiuntur.

LXXXIV.

Humanorum enim corporum ætates internæ inevitabilesq́; mutationes certo circumſcribunt, non tamen in præfinito tempore id efficiunt, ſed qvibusdam citius, aliis verò tardius id accidere comperimus. Galen. Comment. in Aphor. 27. Sect. idem ſtatuit, non eſſe unum & certum terminum unicuiqve ætatum correſpondentem, propter variam in calore, & frigore temperaturam, & varias hominum naturas: qvo fit,

ſit, ut non poſſit unus omnibus præfiniri terminus: qvo profectò factum, ut ætates potius temperamentis, qvam annorum numero metiendæ ſint. Mecat. cit. Tom. l. 3. part. 3. Claſs. 2. qvæſt. 208. p. m. 386. num. 41. & lib. 2. de ſanit. Claſs. 2. Qvæſt. 169 p. 75. D. num. 4. & part. 2. Claſs. 1. Qvæſt. 184. p. 194. B.

LXXXV.

Hinc legimus multis retrò actis ſeculis hoc uſu veniſſe. Prout Plinium docuit experientia rerum Magiſtra in *M.* Catone Cenſorio, qvi Octuagenarius tam vividâ fuit Senectâ, ut ne conſenuiſſe qvidem videretur. Et filium genuit ê filiâ Salonii, Clientis ſui, Item in Rege *M*aſſiniſsâ nonagenario, anno ætatis octuageſimo ſexto filium gignente lib. 7. de hiſtor. natur. cap. 14. p. m. 69. ubi meminit Voluſii Saturnini, concluditq; ad annum usqve octuageſimum qvintum apud ignobiles vulgarem reperiri generationem. Cujus documenta deſiderans adeat Danos & Norvvegos, ubi ſæpisſimè hoc evenire edocebitur.

LXXXVI.

LXXXVI.

Imo Lev. Lemn. lib. 4. de occult. natur. mirac. c. 24. p. m. 464. hiſtoriam de viro centum annorum refert, qvod duxerit juvenculam, & ex ea complures ſuſtulerit liberos, qvi in tàm provecta ætate, ſenectâ fuit adeò crudâ, viridiq; , ut vix annum compleviſſe videretur qvinqvageſimum. Apud Tungros qvoq; , & in Campana Brabantica, ubi mira aëris clementia, gens temperans & frugalis, inauditum non eſſe ſcribit, ſed vulgare propemodum octuaginta annorum viros virgines non admodum annoſas in conjugii ſocietatem adſciſcere, atq; ex iis proles excitare. Hinc ibidem concludit, qvod annorum numerus viro nihil officiat ad procreandos liberos, niſi prorſus juvenibus ætatis incontinentia exhauſtus ſit vigor, & genitales partes effætæ emarcuerint. Sicut, ait, nonnulli validi, robuſtiq; ſenes, qvibꝰ adoleſcentia continenter, & moderatè transacta eſt: qvi ad ſeptuageſimum annum fæcundi ſunt, & in peragendo concubitu

donatum aggreſſus ferè trigonum Veneris in radice tetigit, Lunæ in fæcundiſſimo ſigno Cancro exiſtenti ſuas vires plena manu & lumine confertim communicato indidit. Luna proximè Veneris, fæcundiſſimæ illius Matris locum radicalem collocata in ſuo domicilio felicem obtinuit ſtatum in exaltatione Jovis: Jove viciſſim Lunæ non ſolum radicale ſignum, ſed (qvod annotatione digniſſimum) etiam ſigni, qvo Luna in Themate Matris ſuperbiebat, ferè gradum occupante, juxta ſplendidiſſimum illius Orionis aſtrum. Venus in fæcundiſſimo ſigno piſcibus, qvod Jovi addictum, exaltata reperitur. Ita ut præcipui ſignificatores felicioris ſtatûs formationi (qvod rariſſimè contingit) inſerviant, ſi hæc cœli facies cum themate matris natalitio conferatur.

LXXV.

Nam & in conceptione aſtrorum vires ponderandæ. Neqve enim minus ad corpus afficiendum poſitus cœli tam tempore conceptionis, qvam nativitatis

tis

tis poteſt; cum tota corporis natura à conceptione pendeat. Cum enim certum ſit, & Agricolis notiſſimum, non parum referre, qvo tempore, & qvo aſtrorum ſitu & aſpectu ſemina terræ mandentur: Cur non idem etiam in hominis conceptione, & qvidem multo magis accidat?

LXXVI.

Imprimis hîc Luna multum poteſt, qvæ ut plena, vel lumine diminuta, aut nova eſt, hunc vel illum cœli occupat locum, aut hanc vel illam cum Planetis & Stellis fixis configurationem habet, varias conceptui imprimit diſpoſitiones. Sennert. Prax. l.4. cap.7. part. 2. ſect.4. p.395. in qvâ ſententiâ etiam eſt Ludovicus Septalius lib. de nævis p. m.10. Miror ſanè harmoniam cœleſtem, & matris thema nativitatis concepti fætus tempori adeò congruam: de qvâ non facilè aliqvis ſe idem in aliis obſervaſſe (nam rariſſimè contingit) poterit gloriari.

LXXVII.

Qvi naturæ conatus ut eò citius

in actum deducatur, Formatrici Facultati properanti auxiliatrices præbuerunt manus aliæ cauſæ ſociæ & adjuvantes. I. Inter parentes amoris ardentiſſimi vinculum arctiſſimum conſpicitur, & concordiæ, qvo animus parentis Matri antę aliqvot annos devinctus fuit, adhuc puellæ, Viri nondum potenti. Qvem in viduitate octo integros annos puellam, & ejus parentes celavit, expectaturus ipſius educationem & mores: Qvos cum demum laudabiles eſſet contemplatus, virtutis & optimæ illius famæ conditione commotus, præviis precibus eam ambivit, & à parentibus ſibi promitti impetravit. Coitus autem voluntarius & jucundus exiſtit fæcundisſimus Lud. Mercat. tom. 4. Oper. Medic. p. m. 636. l. 3. D. de ſteril. & prægn. affect.

LXXVIII.

Ardens enim amor Venere intenſiore accumbit, & afficitur, excluſis omnibus aliis rebus, omnes Spiritus & vires huic tribuens actui. Hinc qvidam Philoſophorum juxta politicas, rationem

ionem reddunt phyſicam, qvare furtivâ geniti Venere, & illicitâ: itemq́; vulgaris conditiones homines, viribus corporis & animi plerumqve polleant, ſintq́; legitimis longè vegetiores. Contra filii Sapientum, & ſtudiis emancipatorum (qvi non magnoperè hanc monomachiam expetunt, aut certè langvidè & oſcitanter, diſtractis ad graviora cogitationibus, & Spiritibus debitum, qvo pacatiores, magisq́; commodas experiantur uxores, exſolvunt) ſtupidiores ſint, & imbecilliores.

LXXIX.

Deinde Hyems huc facit non parum, qvæ excepit conceptionem, in qvâ plus nutrimenti aſſumitur, eô qvod calor nativus ſit fortior: qvi qvo fortior, eo ſangvis abſolvitur perfectius; & ob majorem benè elaborati ſangvinis copiam, ſvavior anathymiaſis, & ſomnus longior, nocte exiſtente longiore. Vid. Hippocr. 1. aph. 15. & Viſcer. in Comment. p. m. 57. Heurn. in Not. p. m. 53.

LXXX.

Verum dicam mihi ſcribent non

pauci grandem, qvibus parentis ſenil contuitis corpus effætum & viribu caſſum, ſeminis, ſi aliqvid reſtet, infæ cundi arguendum videtur. Agit namq ille annum ſeptuageſimum. Seniore tales infirmæ ætatis dicuntur in l. Civi tatibus 122. ff. de Legat. 1. & canitie gra ves læſis corpore æqviparantur in Auth de Qvæſtor. Coll. 6. imò minus viven præſumuntur, qvam ægri. Joh. Nævi zan. in ſylvâ nupt. l 2. n. 4. Qvare Senc & emeritos milites Cypridos caſtris ex cedere jubet Ovidius. Hinc vel ſexa genariis Viris nuptiæ olim l. Papiâ in terdictæ erant, l. Sancimus, 27. c. d nupt. eò qvod ad generandum id ætati homines minus cenſerentur idonei, u ex l. ſi pater 15. §. in arrogationibus ff de adopt.

LXXXI.

Sed hoc telum me non feriet: mul tò minus meam ſemel conceptam con vellet opinionem. Medici experienti & rationibus convicti Senibus etiam ſe ptuaginta & plurium annorum ſpem generandi omnem non præcludunt,

Schenck,

Schenck. Obſerv. Med.122. l.4.de Concept. p.m.225. ex Maſſæ Epiſt.29. tom.2. refert de Venetâ muliere nobiliſſimâ, qvod ſexagenaria ex ſeptuagenario Sene conceperit & enixa ſit infantem. Et idem p. m. 228. accidit Nicolao de Palavicinis habente filium à ſe generatum in anno centeſimo ex Savanorolâ tract. 6. cap. 21. rubr. 23. Vidit Alexander Benedictus ſuis oculis prolem à Germano ex Conjuge caſtiſſimâ ſuſceptum, qvod teſtatur l. 2. de Curat. *M*orbor. cap. 11. & p. 229. ex Bernh. Scard. l. 2. Claſſ. 9. hiſtor. recenſet, qvod Sigiſmundus Polcaſtrus *M*edicus & Philoſophus Patavienſis ſeptuagenarius ad ſecunda vota acceſſerit, & tres ante ſuum fætum, qvod expertus eſt anno ætatis nonageſimo qvarto, oſculatus ſit ſuos filiolos.

LXXXII.

Noſtrâ ætate Civis Stetinenſis anno ſuæ ætatis ſexagimo primo ad ſecunda vota accesſit, & ex Conjuge optimæ famæ, & honeſtorum morum, genuit octo filios, & duas filias. Qvorum liberorum

rorum major pars adhuc vivit. Diem obiit extremum demum anno ætatis nonageſimo. Qvod ſi is alternis ſaltem annis unum ſuſcepiſſet ſuorum liberorum, tamen anno ætatis octuageſimo primo adhuc generaſſe dicendus foret. In Pomeraniâ notisſimum de Viro magno, qvod qvi octuaginta annorum cum eſſet, genuerit liberos, qvi adhuc vivunt, Patre anno 1646. fatis cedente. Ante triginta annos Lipſiæ Senator ſexagenarius poſt ſecundas nuptias procreavit qvatuor filios, & *M*ercator ibidem ſeptuaginta qvinqve annos natus filium ex *M*atre juvenculâ, ante qvindecim annos. Qvalia exempla toties obviam oculis obverſantur, ut dubitandi nullus amplius locus ſit relictus.

LXXXIII.

Moderni itaqve *M*edici ſibi conſulentes in definiendâ & diſtingvendâ ætate prudentes certum annorum numerum asſignare recuſant, magis ætates ſecundum calidi nativi robur vel decrementum metiti. Siqvidem virtus ad actiones

ctiones ex temperamento potius comparatur, qvam ex tempore, ut loqvitur *Mercatus* tom. 4. Oper. *Medic.* l. 3. c. 1. p. m. 636. F. & complexionis conditionem ætatem ſupplere. Idem ibid. p. m. 637. A. qvod admodum eleganter & fuſius tractat tom. 1. Op. *Medic.* l. 1. Claſs. 4. part. 2. Qvæſt. 54. p. m. 106. A. ætates nullâ lege, nullo annorum numero, neqve communi methodo metiendas, æſtimandasq́; eſſe: ſicut multa, qvæ in his inferioribus mutationes ſtatas, determinatas periodos ſortiuntur.

LXXXIV.

Humanorum enim corporum ætates internæ inevitabilesq́; mutationes certo circumſcribunt, non tamen in præfinito tempore id efficiunt, ſed qvibusdam citius, aliis verò tardius id accidere comperimus. Galen. Comment. in Aphor. 27. Sect. idem ſtatuit, non eſſe unum & certum terminum unicuiqve ætatum correſpondentem, propter variam in calore, & frigore temperaturam, & varias hominum naturas: qvo fit,

ſit, ut non poſſit unus omnibus præfiniri terminus: qvo profectò factum, ut ætates potius temperamentis, qvam annorum numero metiendæ ſint. Mecat. cit. Tom. I. 3. part. 3. Claſs. 2. qvæſt. 208. p. m. 386. num. 41. & lib. 2. de ſanit. Claſs. 2. Qvæſt. 169 p. 75. D. num. 4. & part. 2. Claſs. 1. Qvæſt. 184. p. 194. B.

LXXXV.

Hinc legimus multis retrò actis ſeculis hoc uſu veniſſe. Prout Plinium docuit experientia rerum Magiſtra in *M.* Catone Cenſorio, qvi Octuagenarius tam vividâ fuit Senectâ, ut ne conſenuiſſe qvidem videretur. Et filium genuit ê filiâ Salonii, Clientis ſui. Item in Rege *M*aſſiniſsâ nonagenario, anno ætatis octuageſimo ſexto filium gignente lib. 7. de hiſtor. natur. cap. 14. p. m. 69. ubi meminit Voluſii Saturnini, concluditq; ad annum usqve octuageſimum qvintum apud ignobiles vulgarem reperiri generationem. Cujus documenta deſiderans adeat Danos & Norvvegos, ubi ſæpisſimè hoc evenire edocebitur.

LXXXVI.

LXXXVI.

ImoLev.Lemn.lib.4.de occult.natur. mirac. c,24, p,m.464, hiſtoriam de viro centum annorum refert, qvod duxerit juvenculam, & ex ea complures ſuſtulerit liberos, qvi in tàm provecta ætate, ſenectâ fuit adeò crudâ, viridiq; , ut vix annum compleviſſe videretur qvinqvageſimum. Apud Tungros qvoq; , & in Campana Brabantica, ubi mira aëris clementia, gens temperans & frugalis, inauditum non eſſe ſcribit, ſed vulgare propemodum octuaginta annorum viros virgines non admodum annoſas in conjugii ſocietatem adſciſcere, atq; ex iis proles excitare. Hinc ibidem concludit, qvod annorum numerus viro nihil officiat ad procreandos liberos, niſi prorſus juvenibus ætatis incontinentiâ exhauſtus ſit vigor, & genitales partes effætæ emarcuerint. Sicut, ait, nonnulli validi, robuſtiq; ſenes, qvibꝰ adoleſcentia continenter, & moderatè tranſacta eſt: qvi ad ſeptuageſimum annum fæcundi ſunt, & in peragendo concubitu

viriliter ſubſiſtunt, qvorum multa exempla Brabanti, Gothi, Sveci (addo hic Scotos, qvalis hic Parens, de qvorum fæcunditate ubiq; extenditur fama ferè) ſuppeditant.

LXXXVII.

Hinc Medici venæ ſectionem adhibituri non tam annorum numero, qvam habitui, & virium robori attendendum eſſe volunt, videndumq; non ſolum qvamdiu qvis vixerit, ſed qvantum adſit virium: cum fieri poſſit, ut ſeptuagenarius facilius ferat venæ ſectionem, qvam alius nondum annos ſexaginta natus. Sennert. Inſtit. Med. l. 5. part. 2. ſ. 1. cap. 17. p. 403.

LXXXIIX.

Miror hic Zachiam, qvi Tit. 1. Qvæſt. Medicol. qvæſt. 9. ſ. 6. poſthabitis tot exemplis, hujus & retroacti ſeculi, qvos raros caſus vocare non dubitat, termino certo generantem alligare conatur naturam, cum tamen tit. 1 qvæſt. 5. num. 27. in definiendâ pubertate hoc fieri non poſſe, apertê fateatur, ſed Medici judicio determinationem relinqvendam aſſerat,

rat, ratione temperamenti, & aliarum conditionum. Vid. Sect. 6. Aut itaq; etiam in ætate ſenili illud permittat, aut eam ê numero ætatum, qvod abſurdum, extrudat. Utriusq; enim ætatis eadem ſubeſt, & redditur à Zachiâ ratio,

LXXXIX.

Fortaſſis, & procul omni dubio ejusmodi caſus freqventiores fierent, niſi multi, imò major pars hominum delitiis ſtatim ſolveret juventutem, ut loqvitur Qvintial. l. 1. c. 2. præmaturâ & intempeſtivâ venere vires exhauriret, & ſummo qvaſi ſtudio impugnaret. Qvod hujus infantis parens non feciſſe præſumitur, qvi, qvantum ætate provectiore, tantum adhuc viribus valet, inter virides & crudos ſenes connumerandus. Qvod promptitudo, & virium alacritas in expediendis actionibus unicuiq; ad oculum demonſtrat. Imò qvi conſtitutione & habitu corporis omnes ſuos liberos, in priore genitos conjugio longè antecellit.

XC.

Qvare autem in tali ſenili corpore vis

generandi omnis neceſſariò unà cum ætate exſpirare debeat, nondum ego aſſeqvor. Alacritas namq; & vigor corporis facultates, imprimis naturalem, qvæ coctioni ciborum, & proviſioni totius præſidet, ſuo officio quàm maximè defungi argumento eſt. Coctionibus autem probè peractis de caloris nativi bonitate & proportione, utpote cujus beneficio digeſtio optimè abſolvitur, dubitare, nobis non ſinunt. V. Sennert. l.3. prax. p.1.ſ.2.c.9. qvæſt.1. p.m.1168. Qvo autem perfectiores coctiones, eo ſangvinis elaborati major proventus, & ſpirituum vitalium: qvi duo in vaſis ſeminis generationi dicatis miſcentur, & in ſeminis formam mutantur & elaborantur. Senn. Prax. l.3. part. 9. ſect. 2. c. 1. p. 1167. ſiqvidem ſemen ex ſangvine amplius elaborato ortum habet. Senn. Inſtit. l. 1. c. 10. p. 91.

XCI.

Qvare qvæſo calido nativo adhuc benè conſtituto & coctionibus probè peractis in conſtitutione ſangvineà nondum

dum enervatâ, tantum ſangvinis non poſſit abundare, qvantum ſemini conficiendo ſufficiat? Qvid enim aliud eſt ſemen, qvam in teſtibus elaboratum corpus ex illo, qvod in partibus ad alendum ſuperat & abundat? Sennert. Inſtit. l. 1. c. 10. p. 93. Hinc etiam Ariſtoteles ſemen appellat excrementum l. 1. de generat. animal. c. 18. [intellige utile & ex materiâ nobili] ſed homonymicè. Optarem mihi hujus parentis thema natalitium, qvin manifeſtiſſima ſigna fæcunditatis deprehenſurus eſſem nullus dubito.

XCII.

Concludo itaq; cum Foëſio in Not. ad lib. 2. Epidem. Hippocr. ſ. 7. p. m. 114. B. Ut homo incerto tempore gignitur, ita demum inconſtantes ſunt labores. Pro variâ enim cœli, regionis, ætatis, victu, temperamenti, mulierumq;, ſemen excipientium naturâ, geſtationis & fætus, ac demum paritionis ambigua eſſe tempora par eſt. Qvod in terræ ſeminibus mandandis accidit. Eſt enim qvoddam, qvod trium menſium ſpatio proveniat,

 & à

& à rei ruſticæ peritis trimeſtre triticum dicitur: qvoddam vero, qvod in annum maturitatem, aut incrementum differat. Tantum de cauſis formationis celerioris, ſeqvitur nunc exitûs occaſio.

XCIII.

Validâ hunc puerum adhuc in utero exiſtentem fuiſſe naturâ, & viribus conſtantem juxta alia indubitatò ex valido ejus motu conſtat, qvi etiam poſtq; ſemel ſenſibus patuit, de vehementiâ ſuâ parum remiſit. Ex qvo alterum, qvod copioſo alimento ad ſui elaborationem perfectiorem indiguerit, deducitur. Qvod ipſi etiam primis menſibus pro neceſſitate delatum ſit, à matre ſangvinea, optimi & rubicundi coloris faciei, in flore ætatis conſtitutâ, extra controverſiam eſt.

XCIV.

Verum die 27. Junii ante partûs terminum, qvi duodecimo Julii apparuit, ſedecimo, graviſſimè ad iram concitata doloribus dorſi exqviſitis, & paulò poſt, menſtruo albo cœpit conflictari. Nec mirum,

mirum, cum ira præceps calorem & humores commoveat, Lud. Mercat. tom. 1. Oper. Medic. Cl. 2. qvæſt. 166. p. m. 53. tantâ vehementiâ Hippocr. lib. 6. Epid. Comm. 5. text 8. ut in qvibuſdam ipſam accendat febrim Aët. tetr. 2. ſ. 1. interdum dolorem capitis, Actuar. meth. med. l. 4. c. 3. anxietates cordis, & vomitus iram hanc ſecutus qvid aliud, qvam qvod totum corpus concuſſum ſit, ſangvis aliiq; humores incaluerint, indicant? Interdum ipſa bilis inflammatur: interdum inde uterus totum inficit corpus Qvercet, Diatet. Polyhiſt. cap. 6. p. 33.

XCV.

Nec fallit me opinio, qvin bilis inde ad uterum mota ſit, iſtiq; ad excretionem fætûs ſtimulum addiderit: ſiqvidem infans flavo colore toto corpore infectus fuit, poſt nativitatem aliqvot dies. *M*enſes præterea decolores ſangvineæ maſſæ vitium non exiguum, & ex commotione iſtâ iræ contractam corruptionem declarant. Hinc eſt, qvod Hippocrates 5. aphor. 36. purgatione (qvi ca-

cochymiæ indicatum Vid. Sennert. Inſtit. l. 5. cap. 2. ſ. 1. c. 5. p. 540. nam benè conſtitutos Hippocrates 2. aph. 36. 36. 37 & 4. aph. 16. purgatione prohibet) opu eſſe ejusmodi fæminis dicat. Qvæ purgatio ſ. artificialis evacuatio qvia omiſſa, qvotidie alimentum cacochymiæ augendæ, non corpori aſſimulando contulit. Nam impura corpora: qvo plus alimenti aſſumunt, eo pluribus damnis augentur. Hippocr. ſ. 2. aph. 9.

XCVI.

Cum itaq; fætus in utero dulciſſimum & optimum hauriat Hippocr. l. de natur. pueri ſ. 3. p. 27. l. 18. Galen. Comm. in aphor. 37. ſ. 5. Oper. Tom. 7. p. 155. Heurn. Inſtit. Medic. l. 5. c. 3. p. 137. Mercat. tom. 1. l. 1. ſ. 4. Claſs. 4. qvæſt. 100. p. 274. E. ſeu, ut Levin. Lemn. lib. de occult. nat. miracul. l. 1. c. 6. p. 26. loqvitur ſinceriſſimâ ſangvinis ſcatebrâ atq; irrigatione toto geſtationis tempore fætus aletur atq; augeſcat, impuram iſtam ad uterum converſam alimoniam, ut inſretam faſtidivit, ſuumq; hoſpitium citius

tius atq; ſperaſſes, deſeruit, anteqvam membra teneriora, qvorum flaccida caro defraudati genii argumentum fuerunt, ſolidiore veſtirentur carne. Hoc eſt, qvod Hippocr. l. de natur. Pueri ſ. 3, p. 28 l. 12. c. F. refert. Qvæ minus alimenti fætui ſuppeditant fæminæ, celerius pariunt, qvæ verò plus, tardius.

XCVII.

Acceſſit & illud, qvod pridiè partus diei ſcil. undecimo Julii validos ſuſceptos ſuſtinuerit labores, in ſubigendâ farinâ, & pane ante clibanum præparando. Qvos ſtatim duodecimo Julii ſ. die ſolis mane cephalalgia ſecuta, qvæ ipſam, ne ſacris vacare, nec concioni intereſſe poſſet, prohibuit: [Qvod verò omnium maximum ex loco ædium ſuperiore 18. circiter pedes Geometricos alto, cum maximâ, ut qvivis conjicere facilè poteſt, animi conſternatione inopinatò dilapſa, poſterioribus ciſtæ illiſis in terram cecidit, adeò graviter, ut ſeipſam humo tollere neqviverit. Imò publicæ preces, & qvod periculoſiſſimo

hoc caſu non omnis perierit, ſed integris adhuc ſublata ſit membris, gratia DEO relata eſt.

XCIIX.

Vel ſola animi perturbatio, ſeu conſternatio, qvia turbas in corpore ciet magnas, fætui expellendo ſuppar eſſe poteſt. Vid. Ambroſ. Paræum Oper. Chirurg. lib. 23. c. 30. p. 688. A. ex qvo uxor Varronis Soſia ſeptimum jam menſem gravida omninò exſpiravit. Vid. Horol. Princip. l. 2. c. 16. De lapſu iſto ab alto nemo dubitare poteſt, qvin ligamentis diſſolutis fætus ante legitimum tempus prodire coactus fuerit. Vid. Paræum cit. loc. p. 687. Solo ſaltu Fidicina fætum excuſſit, ut legere licet in Hipp. lib. de natur. pueri ſ. 3. p. 16. l. 20. in qvo libro etiam refert, quandoq; accidere, ut ante præfinitum tempus ruptis pelliculis ab aliqvam violentiam pueri naſcantur. Sic libr. 1. Epid. p. 2. Galenus ſaltum vehementiorem, aut ſubitum horrendi timorem incuſat. Vid. Mercat. tom. 4. l. 4. c. 2. p. 719.

XCIX.

Certè iſte violentus lapſus una cum

con-

conſternatione magnum naturæ faceſſit negotium labefactatæ: ſicut non modo partus laborioſiſſimus, ſed etiam febris ſexto die inſecuta prodidit. Febrim autem hanc ex iſta commotione, & partu originem traxiſſe non dubitabit aſſerere Valleſius Controv. l. 10. c. 4. qvi ideo, qvod partus ſymptomatum gravitate_ minatus fuerit, computationem â partus die in febri hâc dijudicandâ, in eundem eſſe differeret. p. 397. [de qvo diſputare hujus loci non eſt) nam appetitu proſtrato dolores dorſi ingruere cœperunt. Interim notatu dignum, qvod infans flavo colore tinctus fuerit, toto corpore, motu humorum, & maximè bilis ad uterum converſo, & acrimoniâ excluſionem fœtus ſollicitante.

C.

Qvod autem, ut hoc plenius deducam, Natura partum ad aliqvot dies adhuc, niſi violentiâ iſtâ, & causâ externâ ſollicitata fuiſſet, protraxiſſet, multis vix verisimile videbitur, eo qvod puer iſto omnia membra juſtæ proportionis ſe-

cum attulerit & debitæ perfectionis. Verum enim vero non adeò omnibus numeris perfectum infantem hunc, utpote qvi commiſſuris capitis valdè hiantibus, & capite non benè proportionato prodiit, luci donatum audio. Et hanc imperfectionis notam etiam Zachias qvæſt. medicoleg. tit. 2. Qvæſt. 3. num. 65. aliàs rigidus ſeptimeſtrium Cenſor agnoſcit. Cerebrum namq; frigidior corporis pars ulteriorem perfectionis ſuæ terminum efflagitabat, qvem natura qvod prævenerit violenter adacta fuit.

CI.

Neceſſariò autem in hoc partu, qvem perfectè ſeptimeſtrem natura voluit, die 174. omnium partium conformationem adeſſe oportebat, ut ſeqventibus diebus robur ſaltem magis magisq; acqvireret. Solidæ enim Spermaticæ partes omnes ſimul delineantur, & poſtea ſuo ordine pro ratione dignitatis & neceſſitatis perficiuntur: aliæ tamen citius, aliæ tardius formam accipiunt abſolutam, prout fætui,

tui, dum in utero eſt, vel poſtea etiam, ubi in lucem prodidit, inſervire debuerunt, Sennert. Inſtit. l.1.c.10.p.105.

CII.

Levin. Lemnius, qvi ſtat à partibus perſvaſorum, animam non per traducem eſſe, ſed divinitus infundi; & qvidem tum, cum fætus abſolutam formam eſt adeptus, ſuisq; lineamentis exactè dignotus. Qvod tertio jam menſe factum crediderim. (qvamvis ut de origine animarum controverſiam hanc meam faciam, neceſſe hic non ſit) Levin. Lemnius cit. l. p. 54. id die 45. fieri autumat. qvod de imperfectâ formatione non negaverim. Obſervatum certè à Ludovicâ Bourgiens, obſtetrice Regiâ Pariſiis, ut ipſa teſtatur lib. de partu mulier. p. 73. Qvod fæmina qvædam paupercula in celeberrimo illo totius Europæ Noſocomio Regio Pariſienſi dicto L. Hoſtel de Ricieu, febri ardenti conflictata, qvod ſe gravidem eſſe planè ignoravit, pepererit filium, qvem conſtitit, non habuiſſe plures, qvam ad ſummum menſes qvatuor,

qvi aliqvandiu vixit, & recepto baptiſmo clamorem edidit.

CIII.

Qvam hiſtoriam integram ſuo idiomate ſcriptam apponere non piget: Entre autre choſe, une pauvre femme, malade de fievre y accoucha de petit garçon, ſans ſenſer eſtre groſsè, leqvel fut enclagé par ſa ſage femme, il ne paroit ſoit pas eſtre de plus de trois mois & demy, ôu de qvatre à toûte extremité, lorsq; l'on le vivre. Apres avoir delivre ſa mere du reſte l'on le porta ſur le fonds recevoir le baptiſme, ou on m' aſseura, qv' il avoit faict un petit cry, & fut nommé Charle par le Chirurgien.

CIV.

Si itaq; qvarto menſe partes id perfectionis habuerunt, ut infans ſacri lavacri capax habitus fuerit, & clamorem ediderit, non dubitare licet, ſexto & ſeptimo id fieri menſe. Preterea mēbra attulit noſter, de qvo controvertitur, infans teneriora & flaccidiora, ſiqvidem natura in augendâ carne & oſſibus plenius carne ve-

ne veſtiendis impedita fuit, & laceſſita eum emittere coacta. Præterea lactis in mammis ne veſtigium qvidem ante tertiam poſt partum ſeptimanam, etiam finiendam apparuit. De qvo tamen natura provida ſui conſervatrix infanti in lucem emiſſo, ſi ſui juris terminum, qvem ſibi propoſuerat, expectare potuiſſet, ut in aliis fit, proſpexiſſet.

CV.

Qvod vivat adhuc & nutriatur, partim ipſius robori, & calori nativo, partim qvibus alendus commiſſus eſt, ſtudio & curæ acceptum ferendum. Qvod ſæpe in ſeptimeſtribus fieri aſſerit etiam Levin. Lemn. lib. de occult. natur. mirac. 4. c. 24. p. 458. & eleganti à fructibus maturandis ſimilitudine deſumtâ ibidem illuſtret.

CVI.

Robur item & falcultates miniſtravit ſol, qvi in cœlo tunc ſigna ſeptentrionalia per currens noſtro imminuit vertici. Scribit enim Hippocrates lib. de Octim. partu 3. ſ. 3. p. 41. l. 1. Cod. Foëſ. qvod fætus ſint validiſſimi, qvi ſole maximè nutriti ſunt,

ſunt,h.e. ut explicat cum Zvingero Foëſius in Not.ibid.p.118.validiſſimos videri fætus ad injurias ferendas,tum externi aëris,tum peregrini victus,tum etiam ad eas,qvas in utero pati coguntur,affectiones, qvi ſole ad nos accedente in lucem prodiere, aut qvi ſole connutriti ſunt,h.e.(NB.)ipſo aëre confirmati.Ipſe Zachias tit.2.qvæſt.3.ſ.62. fatetur, qvod qvidam infantium, qvi ligamentis violenter ruptis citius prodiere,ob innatam fortitudinem vim illam aliqvando ſuſtinere poſſint.

CVII.

Portò Cœlum ſeu aſtrorum cohors matri minacem die duodecimo Julii oſtendit vultum ejiciendo fætui qvaſi ſtudioſum,ut mirari liceat,qvod violentos ejus ſuſtinuerit influxus. Imprimis, Mars, qvi in themate matris potentiſſimus, morborum diſpenſationem in domo ſextâ ſortitus eſt, Lunam, in conſignificatoris morborum ratione ſigni Sagittarii domo conſtitutam inimico ſcil. oppoſito læſit aſpectu, eoq; partili.

Cujus

Cujus malignam naturam niſi vicina Venus inhibuiſſet, robore ſuo, & benigna naturâ, Luna partûs conciliatrix non modo ſuccubuiſſet, ſed & matri fœtum acceleraſſet. *M*aximè cum Saturnus tunc peragraverit octavum ſeu *M*ortis domicilium in themate matris radicali.

CVIII.

Notatione autem digniſſimum arbitror, qvod in tanta aſtrorum, & ex lapſu illo graviſſimo contractâ imbecillitate cum naturâ luctâ demum horâ octavâ omnes planetæ, nullo excepto, qvaſi iterum reconciliati ad fætum & partum adjuvandum ad Horoſcopum aſpectus, ſeu ſymbolum qvilibet ſuum fuiſſet collaturus, projecerint, ſcil. Sol, Jupiter, Mercurius trigonos: Mars & Saturnus, ne qvadratis ſuis vim inferrent, benigno auſus coërcuerunt vultu, dum hic qvadratum ſextili, ille trigono compeſcuit. Venus plus trigono ſuo, & Luna ſextili ad Horoſcopum contulerunt, qvam qvadrato potuerunt detrahere. Non memini, me thema vidiſſe, ubi ſingulariter

ter hoc obſervandum occurriſſet. Singularem itaq; etiam edidit effectum.

CIX.

Ponam autem non vero concedam, certum homini conſtitutum eſſe terminum & partum ſtricto alligandum eſſe tempori (cui ratio & experientia refragatur ut ſupra oſtenſum, qvicqvid alii inferant) tamen omnes regulæ medicæ conditionali nituntur necesſitate, ſcil. qvod natura ſemper uno & eodem modo agere dicatur, impeditur nihilominus interdum materiæ ineptitudine, ut in monſtris apparet, vel externâ aliqvâ occaſione. Hac conditione etiam Hippocrates ſuos orditur aphoriſmos 1. aph. 1. ut explicat Heurnius in Not. p. 11. qvaſi dixerit: Paciſcor vobiſcum, hac lege meos aphoriſmos fore veros, ſi nihil delinqvatur ab his tribus ſcil. Medico, Ægro, & adſtantibus.

CX.

Hâc conditione etiam dies critici ſtrictè obſervandi ſunt, ſed fallunt nonnunqvam, ſi error externus committatur

Cardan.

Cardan.Contrad.lib.1.tract,de contrad. 8. p.134. Et nos in hoc fœtu excludendo naturam, qvæ tot ſuſtinuit errores externos,& lapſum gravisſimum incuſabimus, qvaſi dierum numerum ſui oblita neglexiſſet? aut qvod magis, honeſtos parentes intempeſtivæ inſimulabimus Veneris? In multis aliis,qvorum rationes reddere neſcimus,naturam occultarum qvalitatum beneficio excuſamus; hîc rationes ſufficientes negligemus?

CXI.

ProMatris causà,&pudicitià inviolatâ tuendà vel unicum ſufficeret indicium hymenis ſcil. primo coitu rupti. Hanc enim deprehendi virginitatis notam magni nominis viros teſtes habemus, Avicennam lib.3. Fen.21. tetr.1. cap.1.& lib. 3. Fen. 21. tract. 3. c. 10. Averrhoen tract.1. Collectan.cap.ult. Veſalium lib. 5.de corpor.human.fabric.cap.15.Fallopium Anatom.p.420.l.46.Wierum, Platerum, Spigelium, Nicolaum Florentinum; Pinæum in Oper.Phyſ.& anatom. l.1.c.5. & 6. Qvibus cum conferatur 1.c.

Scali-

Scaliger Exercit.175.ſ.1.& qvæ ex Auguſtin l.1.de Civit.Dei cap.18.refert.Zvingerus Theatr. Vit. human. Volum.1. l.2. p.m.158.Vid.etiam Franc. Valleſium de Sacr. Philoſ. c.25. p. 153.

CXII.

Nec audiendi alii negantes, ut Marc. Anton. Ulmus, de uter. mulier. ſect.1.c. 7. Laurentius, Paræus, Ranchinus &c. Qvi qvod nō invenerint, ſuæ infecilitati asſignent. Phyſicam veritatem adſtruentium unico oculato teſti plus tribuo, qvæ decem auritis, & negativam tuentibus. Convenit hoc ſacris literis de apparitione ſangvinis in primo congreſſu judicium Deuter.c.22.& Africanorum experientiâ confirmatæ conſvetudini. Qvare etiam Sennertus Prax.l.4.p.2.ſ.9. c 1.qvæſt.2.p.m.264. rectè concludit: Si ſangvinis aliqvid in primo coitu effluat, id certum & indubitatum virginitatis ſignum eſſe; Qvamq; è contrario non liceat argumentari: ſi iſta ſangvinis effuſio non adſit, corrupti floris eſſe incuſandas virgines, ob rationes, qvæ legi poſſunt in Sennerto cit. loco.

CXIII.

Qvod ſupereſt optima fama matrem hanc omni eximet ſuſpicione. Eqvidem non deſunt, qvi famam hoc caſu parum prodeſſe exiſtimant, eò qvod fama dicatur vana populi vox l. Decurionum C. de pœnis:& falſus rumor l. ult. ff de hæred. Inſtit. qvemadmodum & Qvintilian. famam appellat rumorem ſine certo autore lib. 5. Orat. Inſtit. C. 3. Tamen cum res conjecturis eſt deficienda, tum fama jam non pro vanâ populi voce habebitur, ſed populi illa vox DEI vox ſolet appellari. Nam ut eſt apud Heſiodum: Qvam populi ſermo celebrat creber, irrita nunqvam Fama cadit penitus, qvædam Dea cum ſit & ipſa. In tantum ut fama probata rectè de rei veritate conſtare dicatur. Qvippè cum in his, qvæ difficilis ſunt purgationis, & à conjecturis potiſſimum dependent, & qvorum aliunde non poteſt haberi probatio, fama etiam planè probare dicitur, ex communi Doctorum ſententiâ, qvam laudant & ſeqvuntur Jacob. Menochius de arbitr. judic. l. 2. Cent. 1. Caſ. 89. & Joh. Baptiſta Aſiniuscap. 16. Vid. Panciroll. tit. 10. Repertor. Novor. p. 496.

CXIV.

Laboribus & piis precidus dedita fæmina potius bonitatis, qvam malitiæ opinionē de ſe facit, & niſi nimio rei domeſticæ ſtudio diſtringi ſe paſſa eſſet, procul dubio periculoſo huic lapſui, & dehinc ſubſecutæ difficultati minimè fuiſſet implicita.

CXV.

Ultimam huic meo diſcurſui manum impoſiturs

ro mihi

ro mihi memoria ſimilem ſuppeditat caſum, qvi contigit anno noſtræ ſalutis, niſi omnis me fallit memoria 1635. in Holſatiâ, ubi etiam ex novâ nuptâ fæminâ juvenculâ, Piſtoris filiâ, ſangvineâ, & bonæ famæ, natus infans nondum finito ſexto menſe, bene formatus & vitalis. Magiſtratus illius loci in ancipiti hærens, an legitimum hunc filium, aut ante nuptias conceptum (tunc enim Parens Piſtorum conſortio fuiſſet ejiciendus) rectè declararet, ad Medicam AcademiæRoſtochienſis Facultatem mittebat, informandus de Medicorum judicio & ſententiâ. Tunc temporis â Facultate Medicâ reſcriptum, isq; filius legitimus & vitalis pronuntiatus.

CXVI.

Ipſe meâ manu (eo qvod in ædibus D.D. Fabritii tunc Decani, poſteâ ſimul Regii Medici in Daniâ habitarem) Facultatis Medicæ reſponſum, qvod illuc mittebatur, me deſcripſiſſe aſſeverare ſalvâ conſcientiâ poſſum. Nec dubito qvin annalibus dictæ Facultatis idem caſus inſcriptus ſit, ſed tunc temporis impetrari non potuit: qvod ob Dn. D. Fabritii tunc temporis abſentiam, in Daniâ domicilium figentes, jam vero fatis defuncti penes qvem Roſtochii Facultatis Medicæ (cujus membrum & Senior audiebat) acta aſſervabantur.

CXVII.

Hæc ſunt, qvæ nec aliqvo conſangvinitatis, aut amicæ neceſſitudinis favore, qvorum neutrum ſubeſt, multo minus largitione, ſed ſolius veritatis amore commotus, literis conſignanda eſſe putavi. Decet enim Medicos, obſervatis multis rationibus naturalibus, ſolidisq; fundamentis fultos nullius

partis

partis vel favore, vel injuriâ hâc in re ſuffragium ferre. Lev. Lemn. de occult.nat mirac.l.4.c.22.p. m. 447. Qvod ſi non omnium palato, hîc meus philoſophico Medicus cibus arriſerit, ſed faſtiditus fuerit, rogatum volo contemtorem mei, meiq; laboris, tamdiu acqvieſcat, donec meis refutatis meliores invenerit rationes. Si meliora attulerit, ſententiam libenter mutabo: modo omnia veritatis amore ſuſcipiantur, remotis affectibus.

CXIIX.

Mantiſſæ loco, qvæ ad me ſcripſit Dominus Stephanus Schultetus, Med. Doctor, & Profeſſor Inſtit. in Academ. Roſtochienſi apponere non piget. Sic enim in literis ſuis, ipſis Calend. Novemb. ſcriptis hujus anni, cum caſum iſtum in Facultatis Medicæ annalibus revolvendum peterem, cujus theſi meâ 108. memini, regerit. Cum literis tuis nihil mihi gratius eſſe ſcias, qvid qvæſo cauſæ eſt, cur poſt tot ambages, tot humanitatis documenta ad ſcopum tuum demum accedas? mihi certè literis ſcribendis mirè hodiè diſtricto non ita luxuriari licet, & proinde ad Caſum propoſitum reſpondeo paucis. Dn. D. Stockmannus peregrè profectus eſt: & etiamſi non eſſet, nec penes ipſum, nec penes me qvicqvam eſt actorum noſtræ Facultatis, qvippe qvæ omnia occluſa tenet Domus Fabritiana &c.

CXIX.

Paulò poſt tertio Calend. Decemb. proprio motu denuo ad me ſcripſit, cujus integra epiſtola de verbo ad verbum deſcripta ſic habet:

Excellentiſſime atq; Experientiſſime Vir, Amice dilectiſſime. Caſus partus ſolito maturioris, de

qvo

qvo haud ita pridem ad me perſcripſiſti, adeò me afficiebat, ut ejus materiæ occaſione aliqvid ad te, etiamſi non reqviſitus, literarum daturus, ſtatim fuiſſem, niſi iter unius atq; alterius ſeptimanæ, qvod intervenit, à propoſito me avocaſſet. Nunc redditus meis Muſis perficiam paucis, qvod pluribus tunc voluiſſem. Omninò autem rectè feciſſe videris, qvi defenſionem Mulierculæ in fine ſexti parientis ſuſcepiſti: deſunt namq; decem duntaxat dies, aut undecim, qvo minus ille partus ex mente Hippocratis ſit ſeptimeſtris. Qvem legitimum eſſe naturalem, & non rarum liqvido conſtat.

CXX.

Præterea experientia nonnullorum ſeculorum docuit, partus humani tempus adeò fixum non eſſe, ut non qvandoq; antevertat ſeptimum, qvandoq; tranſcendat decimum. Obvia ſunt exempla plurima. Et tibi non ignotum ê Schenkio qvendàm Claudum Hortulanum Italum librum, peculiarem edidiſſe de partu 171. dierum, qvalis fuit ille tuus. Unica illa Oratio Spigelii de incerto partus humani termino ſufficienter patrocinabitur huic cauſæ, & ſilentium imponet imperitis. Neq; obſtetrix ulla adeò rudis eſt, qvæ ignoret lapſum matris gravem, & cauſas ejus generis evidentes accelerare partum. Sed mitto hæc, ne te docere velle videar, qvi non eges. Conſvetudo libere tecum agendi, ſtudiumq; in te meum ita jubebant. Vale & Salve. Dabam Roſtochi III. Calend. Decemb. CIↃ IↃCXCVI.

T. S. S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA NA